DE

MUSICIS GRAECORUM CERTAMINIBUS

CAPITA QUATTUOR.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM VINDOBONENSIUM
ORDINE RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

AEMILIUS REISCH.

VINDOBONAE
SUMPTIBUS ET TYPIS CAROLI GEROLD FILII.
MDCCCLXXXV.

GUILIELMO EQUITI AB HARTEL

CAROLO SCHENKL

S.

Ad Graecorum mores recte aestimandos ludorum spectaculorumque, quibus maxime gaudebant, cognitionem haud exigui momenti esse satis constat. Graeci enim summum his rebus impendebant studium neque quicquam praetermittebant, quin commissionum musicarum splendorem amplificarent; in primis praemiis propositis et certaminibus institutis aemulationem studiumque poetarum et musicorum augere conabantur. quem certandi morem cum artibus musicis colendis tam arte conexum qui non respexerit, de tota artium liberalium Graecarum historia rectum iudicium proferre non poterit. eo magis mirari debemus, quod nemo hac aetate accuratius hanc rem tractavit et homines docti, qui de morum Graecorum litterarumque historia dixerunt, eam nisi obiter non tetigerunt. Lafaye enim, qui nuper Lutetiae Parisiorum de poetarum Graecorum Latinorumque certaminibus librum edidit, nihil profecit, cum musicorum agonas prorsus neglegeret, poetarum autem Graecorum certamina perpaucis absolvere satis haberet. illi vero libri, qui saeculo ante hoc proximo de his rebus conscripti sunt, hodie fere nullius usus sunt, postquam tot lapidibus inscriptis repertis testimoniorum numerus quam maxime auctus est. facile autem intellegitur non id mihi fuisse in animo, ut artis huius dissertationis finibus omnia documenta complecterer, quibus ludi apud populos Graecos per mille annorum spatium editi illustrantur. immo satis habui prolusionis instar certamina, quae inde ab antiquissimis temporibus usque ad Alexandri aetatem celebrata sunt, accuratius explicare additis quaestionibus nonnullis, quae ad commissiones musicas saeculis III II I a. Chr. in ipsa Graecia habitas pertinent. reliquam materiam ut alio loco tractem, facultatem mihi mox datum iri spero.

Caput I.

De antiquissimis Graecorum certaminibus musicis.

Ut omnium fere institutorum primordia, sic certaminum quoque musicorum origines antiquitatis tenebris obrutae sunt. posteriore aetate grammatici et rerum gestarum scriptores, qui ea, quae aut nesciebant aut parum comperta habebant, variis fabulis exornare solebant, poetarum quoque certamina ad antiquissima tempora rettulerunt; quibus de narratiunculis plura dicere supersedeo [1]).

Apud Homerum certaminum musicorum nullum occurrit vestigium; nam quae de Thamyride musisque certantibus in Iliadis carmine altero narrantur (vv. 594 sq.), navium qui dicitur catalogo inserta sunt, quem recens additamentum esse nemo nescit. antiquissimum autem testimonium, quo de musicis agonibus certius aliquid comperimus, versus illi esse videntur in Hesiodi Opp. et dieb. 654 sq., qui versus, quamquam eos ab ipso Hesiodo scriptos esse recte homines docti negare videntur, tamen sine dubio iam antiquissimis temporibus interpolati sunt. neque ea, quae ibi de Amphidamante traduntur, omni fundamento carere Rohde monuit Mus. Rhen. XXXVI 420 sqq. (cf. 427). accedit, quod multae illae fabulae [2]), quae de

---

[1]) cf. Lobeck Aglaophamus I 327 sq., E. Rohde Mus. Rhen. XXXVI 419 adn., Lafaye: De poetarum et oratorum certaminibus apud veteres (Lutetiae Parisiorum 1883) p. 1 sq. — Lafayo sane grammatici, qui Homerum, Chrysothemin, Eleutherem in agonas descendentes inducunt, non satisfecerunt, sed Amphionem quoque, Demodocum, Creophylum, alios certaminibus interfuisse veri simile esse opinatur (p. 4).

[2]) Hygin. fab. 272, Plut. Quaest. conv. V 2, Bernhardy Hist. litt. gr. I[4] 302.

virorum clarorum exequiis hoc modo celebratis traduntur, testari videntur aetate antiqua in honorem mortuorum nonnumquam non modo gymnicos, ut apud Homerum legimus, sed etiam musicos agonas celebratos esse.

Certamina vero certo ordine primum in deorum diebus festis celebrandis instituta esse cum per se patet, tum hymni, qui dicuntur Homerici, luculenter testantur. constat enim inter homines doctos hymnos illos ad deorum sollemnia celebranda compositos esse ita, ut maiores in certaminibus musicis recitarentur, minores carminibus epicis prooemiorum loco praemitterentur [1]). atque in quibusdam hymnis etiam coniectura adsequi possumus, quibus in certaminibus primum recitati sint. ita hymnum in Apollinem Delium Deli, hymnum in Apollinem Pythium Delphis cantatum esse consentaneum est; ita carmina VI et X ad certamen Salamine in Cypri urbe actum, carmen IX ad Colophonium agona spectare videntur (cf. Baumeister l. c. p. 335, 344).

Carmina igitur epica et hymni in deorum honorem compositi ea poesis genera fuerunt, quae prima ad certamina admittebantur. ὕμνῳ [2]) igitur se vicisse gloriatur Hesiodus versibus illis antea adlatis; Delphis iam antiquissimis temporibus hymnus in Apollinis honorem cithara succinente canebatur, cf. Strabo IX 421, Paus. X 7, 2 et 3 [3]). primum autem in artibus musicis excolendis locum saeculo septimo Sparta tenet, ubi a Terpandro ars citharoedica exculta primumque citharoedorum certamen institutum est; cf. Plut. de mus. 3. quae certamina inde ab olympiade 26 = 676/2 a. Chr. [4]) Apollinis Carnei diebus festis acta esse Sosibius

---

[1]) cf. quae A. Baumeister dixit in prolegg. editionis hymnorum Homer. p. 102 sq.

[2]) Vocem ὕμνος antiquioribus temporibus non tantum de carminibus in deorum honorem compositis usurpatam esse constat; cf. Baumeister l. c. p. 100. rhapsodorum quoque, qui Homeri carmina recitabant, agonas inde ab antiquissimis temporibus in usu fuisse, viri docti nonnulli adfirmaverunt (Welcker Cycl. ep. I² 347, Bergk Hist. litt. Graec. I 499.); cf. autem Volkmann (Geschichte und Kritik der Wolff'schen Prolegg. p. 273, 308).

[3]) cf. A. Mommsen Delph. p. 174 sq. Pythium agona demum post Terpandri aetatem institutum esse putat Flach (Griech. Lyrik p. 88); ipsius Terpandri aetate sed iam ante ol. 26 citharoedorum certamen instauratum esse Bergk coniecit l. c. II 148 adn. 132; cf. Westphal Musik des griech. Altert. p. 52.

[4]) Quam temporis definitionem non extra omnem dubitationem positam esse saepius monuerunt homines docti; cf. Engelbrecht Zsch. f. d. ö. Gymn. XXXV 828 sq., XXXVI 185.

memoriae tradidit, cuius testimonium Athenaeus servavit XIIII 635e: τὰ Κάρνεια πρῶτος πάντων Τέρπανδρος νικᾷ, ὡς Ἑλλάνικος ἱστορεῖ ἔν τε τοῖς ἐμμέτροις καὶ τοῖς καταλογάδην. ἐγένετο δὲ ἡ θέσις τῶν Καρνείων κατὰ τὴν ἕκτην καὶ εἰκοστὴν ὀλυμπιάδα, ὡς Σωσίβιός φησιν ἐν τῷ περὶ χρόνων. cf. Iul. Afric. Olympion. p. 9. ed. Rutgers. ad ol. 26: Κάρνεια ἐτέθη πρῶτον ἐν Λακεδαίμονι κιθαρῳδῶν ἀγών. ac diu post Terpandrum Spartae nomorum citharoedicorum ars viguit a musicis Lesbiacis in primis exculta, qui usque ad saeculi sexti finem semper in Carneis prima praemia rettulerunt [1]); cf. Plut. de mus. 6. paulo autem post Terpandrum Thaletas Xenodamus Xenocritus Polymnestus Sacadas Spartae secundam quam vocant artis musicae aetatem instituisse dicuntur. quorum aetate chorica quae dicitur poesis maxima cepit incrementa gymnopaediarumque sollemnia in novum ordinem redacta sunt (Plut. de mus. 9); in quibus num re vera, id quod Westphal Musik d. griech. Alterthums 1883 p. 116 adfirmat, poetae aut chori ipsi inter se certaverint, quam maxime dubium est [2]). isdem temporibus tibiarum quoque cantus, qui antea a Graecis spretus neglectus iacebat, maiorem dignitatem obtinuit et in deorum cultum receptus est ita [3]), ut mox isdem honoribus atque ars citharoedica dignus haberetur.

Neque vero sola saeculo septimo Sparta artibus musicis colendis studebat, sed in omnibus fere Peloponnesi urbibus idem factum esse audimus. et certe pro antiquissimo agone musico Ithomaea, Messeniorum sollemnia, habenda essent, si Pausaniae fidem habere liceret, qui de Messeniis IIII 33, 2 haec narrat: ἄγουσι δὲ καὶ ἑορτὴν ἐπέτειον Ἰθωμαῖα· τὸ δὲ ἀρχαῖον καὶ ἀγῶνα ἐτίθεσαν μουσικῆς· τεκμαί-

---

[1]) Nescio num neglegentiae tribuendum sit, quod Flach l. c. p. 211, 212 de Pythiis citharoedorum Lesbiacorum victoriis verba facit.

[2]) Bergk l. c. II 149 adn. 136. Plutarchus quidem (Ages. 29) de gymnopaediarum celebratione haec dicit: τὸν ἀγῶνα τῶν χορῶν ἔπραττον (cf. antea: ἀγωνιζομένων τῶν χορῶν ἐν τῷ θεάτρῳ); sed scriptores posterioris aetatis vocabulis ἀγών et ἀγωνίζεσθαι saepe usos esse, ubi de certaminibus cogitare non licet, satis constat. de gymnopaediis dixit Sosibius ἐν τοῖς περὶ θυσιῶν Athen. XV 678 b; cf. etiam Herod. VI 67.

[3]) Clonas primus αὐλῳδικοὺς etiam νόμους condidisse dicitur (Plut. de mus. 3, Bergk l. c. II 218); quem argumentis nisus non satis firmis Flach l. c. p. 254 pro fabula habendum esse opinatur. cf. etiam Hiller Mus. Rhen. XXXI 75, Guhrauer „Zur Gesch. der Aulodik b. d. Griechen“ (progr. gymn. Waldenburg. 1879) p. 8, Fleckeis. Ann. 1880 p. 692, Engelbrecht l. c. XXXVI 186.

ρεσθαι δ' ἔστιν ἄλλοις τε καὶ Εὐμήλου τοῖς ἔπεσιν· ἐποίησε γοῦν καὶ τάδε ἐν τῷ προσοδίῳ τῷ ἐς Δῆλον·

Τῷ γὰρ Ἰθωμάτᾳ καταθύμιος ἔπλετο μοῖσα
ἁ καθαρὰ....[1]) καὶ ἐλεύθερα σάμβαλ' ἔχοισα[2]).

οὐκοῦν ποιῆσαί μοι δοκεῖ τὰ ἔπη καὶ μουσικῆς ἀγῶνα ἐπιστάμενος τιθέντας. sed Eumeli versus Messenae quidem commissiones musicas habitas esse demonstrant, de certaminibus autem institutis nihil inde colligi potest. eiusdem generis commissiones Polymnesti Sacadae Echembroti temporibus Argis quoque et in oppidis Arcadiae[3]) actas esse compertum habemus ex Heraclide Pontico Plut. de mus. 9 τούτων γὰρ εἰσηγησαμένων τὰ περὶ τὰς γυμνοπαιδίας τὰς ἐν Λακεδαίμονι λέγεται κατασταθῆναι καὶ τὰ περὶ τὰς ἐπιδείξεις τὰς ἐν Ἀρκαδίᾳ, τῶν τε ἐν Ἄργει τὰ ἐνδυμάτια καλούμενα[4]). Sicyone iam ante Clisthenis tyranni aetatem rhapsodorum certamina habita esse Herodotus V 67 demonstrare videtur, unde eius modi recitationes Argis quoque usitatas fuisse conici potest; ac Sicyonios iam antiquitus carminibus choricis Adrastum celebrasse idem Herodotus testatur. et dithyramborum artem Sicyone et Corinthi initia cepisse Epigenis Arionisque nominibus demonstrari potest. ipsos quoque utriusque urbis tyrannos artibus musicis colendis operam dedisse inde colligere possumus, quod Periander Arionem adscivit, Clisthenes autem Pythia Sicyonia instituisse dicitur[5]).

---

[1]) ἁ καθαρὰν κίθαριν καὶ ἐλ. Bergk Poet. lyr. Gr.[4] III p. 6 acutius quam verius coniecit.

[2]) Satis confuse de Eumeli verbisdis putat Flach l. c. p. 94, qui, quod agona illum auleticum fuisse dicit, manifesto fallitur.

[3]) De Arcadum sollemnibus cf. Polyb. IV 20. huc referenda videntur ea, quae apud Philodemum leguntur de mus. I 19 p. 10 Kemke; cf. Plut. de mus. 32. de Argivis apud Herodotum III 131 legimus: κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ χρόνον καὶ Ἀργεῖοι ἤκουον μουσικὴν εἶναι Ἑλλήνων πρῶτοι (Polycratis scilicet Samii aetate). quae verba quamquam pro interpolatis editores recte habent, tamen ea ab antiquo et docto grammatico inserta esse videntur; cf. etiam Gevaert: Histoire et théorie de la musique de l'antiquité II (1881) p. 355 sq.

[4]) ἐπιδείξεις pro codicum lectione ἀποδείξεις scripserunt Hiller (Mus. Rhen. XXXI 78) et Bergk. l. c. II 226 adn. 85; καὶ post vocem κατασταθῆναι inseruit Hiller, κατασταθῆναι τά τε coniecit Bergk, qui post enuntiatum ἐν Ἄργει vocem Ἡραίων vel aliud sollemnium nomen excidisse suspicatus est l. c. Sacadam Argis, Echembrotum in Arcadia agonas musicos instituisse probabiliter homines docti coniecerunt.

[5]) Schol. Pind. Nem. VIIII 2 (p. 491 sq. Boeckh.); cf. Boeckhii adn. l. c., Krause Pythien Nemeen Isthmien p. 76 sq. ipse Pindarus Adrastum Pythia illa

Certius in conscribenda certaminum musicorum historia fundamentum iis nanciscimur, quae de Pythiorum instauratione narrantur. Cirrha enim deleta Amphictyones ipsi antiqua illa Delphorum certamina splendidiore modo quinto quoque anno celebranda constituerunt; et ol. 48, 3 primum novo modo ludis gymnicis additis certamen musicum ab Amphictyonibus actum esse idque ἀγῶνα χρηματίτην fuisse Pausanias tradidit X 7, 3[1]. primum autem coronarium quem dicunt agona quadriennio post (ol. 49, 3) celebratum esse omnes rerum gestarum scriptores consentiunt.

Pausanias, qui his in rebus narrandis auctorem locupletem secutus esse videtur, genera quoque commissionum musicarum accurate nos edocuit X 7, 4: τῆς δὲ τεσσαρακοστῆς ὀλυμπιάδος καὶ ὀγδόης ...ἔτει τρίτῳ ἆθλα ἔθεσαν οἱ Ἀμφικτύονες κιθαρῳδίας μὲν καθὰ καὶ ἐξ ἀρχῆς, προσέθεσαν δὲ καὶ αὐλῳδίας ἀγώνισμα καὶ αὐλῶν· ἀνηγορεύθησαν δὲ νικῶντες Κεφαλλήν τε Μελάμπους[2]) κιθαρῳδίᾳ, καὶ αὐλῳδὸς Ἀρκὰς Ἐχέμβροτος, Σακάδας δὲ Ἀργεῖος[3]) ἐπὶ τοῖς αὐλοῖς. illo igitur anno primum tibiarum cantus in certamen prodiisse videtur atque inde tibicines in certaminibus Delphicis magna semper florebant dignitate[4]). auloedorum[5]) autem agon cum

instaurasse dicit Nem. VIIII 9. annalibus Sicyoniis ad conscribendam artis musicae historiam usus est Heraclides Ponticus, cf. Plut. de mus. 3 et 8 (ἡ ἀναγραφὴ ἡ ἐν Σικυῶνι ἀποκειμένη, δι' ἧς τάς τε ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει καὶ τοὺς ποιητὰς καὶ τοὺς μουσικοὺς ὀνομάζει).

[1]) A quo anno Pythiades computandae sint, grammatici dissentiunt. Bergk enim, cuius sententiam A. Mommsen amplexus est (Delph. p. 124, 174), scholiastarum Pindaricorum fide nisus, inde ab anno olymp. 49 tertio Pythiadas computandas esse putavit (Poet. lyr. Gr.[4] I p. 14 sq. 480), Boeckh contra (Explic. ad Pind. p. 205) Pausaniam secutus a certamine aerario quod dicunt a. ol. 48, 3 habito initium faciendum esse adfirmat. quam Boeckhii sententiam defenderunt L. Schmidt (Comment. in hon. Th. Mommseni p. 48 sq.) et Niese (Zur Geschichte Solons, Histor. Untersuch. f. A. Schäfer 1882 p. 18) novisque argumentis confirmare studuit Dopp Quaestiones de marmore Pario 1883 p. 59.

[2]) Μελάμπους coni. Boeckh, ὃς λάμποι codd. Bekk.

[3]) cf. Hiller »Sakadas der Aulet« Mus. Rhen. XXXI 76 sq. Sacadas ter vicit in Pythiis ol. 48, 3—50, 3. (Paus. X 7, 3, VI 14, 4, Plut. de mus. 8); post eum Pythocritus Sicyonius ol. 51, 3—56, 3 sexies continuo] in tibicinum certamine primo praemio ornatus est; cf. Paus. VI 14, 4 sq.

[4]) De nomo quem dicunt Pythio cf. quae disputaverunt Hiller l. c., Guhrauer Der Pythische Nomos (Fleckeis. Ann. 1880 p. 689 sq. et Supplem. VIII 310 sq.), C. de Jan (Fleckeis. Ann. 1879 p. 577 sq., Philol. XXXVIII 378).

[5]) Auloedum eum dici, qui cantat altero tibiis succinente, cum alii demonstraverunt, tum K. Keil Mélanges grécorom. II (1859) p. 78 adn. 9 et Guhrauer, Zur Gesch. d. Aulodik b. d. Griechen, p. 1 sq.

iam altera Pythiade abolitus esset, octava Pythiade ol. 55, 3 citharistarum certamen primum Delphis institutum est; cf. Paus. X 7, 4 [1]). quae tria certaminum musicorum genera omni tempore in Pythiis locum suum retinuerunt [2]) et inde in aliis quoque sollemnibus celebrandis recepta sunt; nam ad Pythiorum exemplum ceteris quoque locis nova certamina instituta, vetera immutata sunt [3]). ita paulo post Pythia instaurata Isthmia quoque et Nemea splendidiore modo acta esse videntur. neque vero in annorum definitione chronographi consentiunt; modus autem, quo illa sollemnia celebrata sint, prorsus incertus est [4]), et iure nostro antiquiore illa aetate certaminibus musicis in Isthmiis Nemeisque locum fuisse negare possumus, qua de re in capitibus III et IIII accuratius disputabo [5]).

---

[1]) Minus accurate Strabo VIIII 3 p. 421 de prima instauratione rettulit; cf. Guhrauer l. c. p. 323 sq. de prima Pythiorum celebratione prorsus eadem, quae Pausanias narravit, traduntur in quarta Pindaricorum Pythiorum carminum hypothesi (p. 298 Boeckh.).

[2]) Imperatorum Romanorum aetate scaenicos quoque artifices Pythiis interfuisse docemur a Plut. Symp. quaest. V 2, Philostr. Vit. sophist. p. 62 et 115 Kayser, Vit. Apollon. VI 10 p. 213. qui quando primum admissi sint, quamquam ignoramus, tamen quin id non ante Alexandri aetatem factum sit, dubitari non potest; cf. Lüders Dionys. Künstler p. 109. Pausanias, qui omnia, quae in agonibus Pythiis usque ad 69. Pythiadem (X 7, 8) = ol. 116, 3 = 314 a. Chr. novata aut immutata sunt, enumerat, nihil de tragoedis dicit. in Soteriis, quae inde ab anno 276 Delphis celebrabantur, comicos tragicosque histriones in scaenam prodiisse scimus; cf. A. Mommsen Delph. p. 213 adn. 1.

[3]) De Aristotelis libro, cui inscripsit Πυθιονῖκαι, et de aliis certaminum musicorum annalibus dixit Rose Aristot. Pseudep. p. 545 sq. iam quaenam fuerit singulorum agonum ratio et quaenam in eis celebrandis leges observatae sint, nusquam comperimus. Lucianus adv. ind. 8 sq. certamen quoddam citharoedicum Pythiis habitum describit, cui tres citharoedi interfuerunt, Eumelus Eleus, Euangelus Tarentinus, Thespis Thebanus; quem numerum usu receptum fuisse veri simile est. sed ignoramus ad quam aetatem haec Luciani narratio referenda sit. neque per quot dies agones musici acti sint, cognitum habemus.

[4]) Isthmia et Nemea trieterica fuisse atque inde altero quartoque quoque olympiadis anno acta esse satis constat. ac Nemea et maiora et minora aestate habita esse Unger speciosis argumentis demonstrare studuit (Philol. XXXIII 51 sq., XXXVII 529 sq. Sitz. Ber. d. bair. Acad. 1879 p. 117 sq.), cf. Volquardsen Bursians Jahresb. XVIIII 115, Droysen Herm. VIIII 1 sq., Bergk Poet. lyr. Gr.[4] I p. 17; idem Isthmia verno semper tempore celebrata esse probavit Philol. XXXII 1 sq.

[5]) Nihil enim tribui potest fabulae illi, quam de Nemeis in Archemori honorem conditis narrat Hyginus 273 (p. 147 Schmidt) '...his quoque ludis

Cum usque ad medium saeculum sextum Sparta ceteraeque Doricae civitates in artibus musicis colendis primum locum obtinuissent, Pisistratidis regnantibus Athenae earum in locum successerunt. qua de re cum infra expositurus sim, restat, ut breviter componam, quae de certaminibus musicis extra ipsam Graeciam saec. VII et VI actis memoriae traduntur; dubitari enim nequit, quin in multis Asiae minoris insularumque urbibus, quae aetate illa opibus florebant, commissiones musicae habitae sint, quamquam exigua plerumque de his rebus ad nos pervenit memoria. veluti neque qualis fuerit ille agon Τριοπίου Ἀπόλλωνος, in quo tripodas praemio datos esse Herodotus I 144 narrat, neque quo modo Panionia in Mycalensi promunturio aut Posidonia in insula Teno antiquitus acta celebrata sint, compertum habemus. accuratius de Deliaca tantum Ionum panegyri edocti sumus, quam in primo Hymno homerico describi satis constat. quo in carmine vetustissimo varia certamina in Apollinis honorem facta his verbis commemorantur vv. 148 sq.:

οἱ δέ σε πυγμαχίῃ τε καὶ ὀρχηθμῷ καὶ ἀοιδῇ
μνησάμενοι τέρπουσιν, ὅταν στήσωνται ἀγῶνα.

item iam Homerum Delum venisse ibique una cum Hesiodo carmina recitasse narratur (cf. Hes. fr. 227 F.). et ante bellum Messeniacum primum Eumelum Corinthium Messeniis προσόδιον εἰς Δῆλον composuisse scimus. Atheniensibus quoque iam antiquitus cum Delo insula commercium fuisse ea, quae Herodotus I 65 de Pisistrato tradidit, demonstrant. ac probabiliter etiam Pollucis testimonium VIII 107[1]), sine dubio e vetusta lege petitum, ad maiora quaedam sollemnia quinto quoque anno Deli celebrata homines docti rettu-

---

pythaules [qui Pythia cantaverunt] septem habuit palliatos, qui voce cantaverunt, unde postea appellatus est choraules'. nec quicquam scimus de Aristomachae illius aetate, de qua Plut. Quaest. conv. V 2 e Polemonis libro περὶ τῶν ἐν Δελφοῖς θησαυρῶν (fr. 27 Preller) haec memoriae tradidit: ἐκεῖ εὑρήσετε γεγραμμένον, ὡς ἐν τῷ Σικυωνίῳ θησαυρῷ χρυσοῦν ἀνέκειτο βιβλίον, Ἀριστομάχης ἀνάθημα τῆς Ἐρυθραίας ποιητρίας Ἴσθμια νενικηκυίας. quam posterioribus demum temporibus vixisse puto. sic Εἰράνα (?) quaedam Σμυρναία ἀπ' Ἰωνίας ποιήτρια intra ol. 125 et 147 a Lamiae urbis incolis propter carmina sua honorata est; cf. Rangabé Ant. hellen. tit. 741. accuratos Isthmiorum Nemeorumque annales extitisse negat Pausan. VI 13, 4. Ἰσθμιακαὶ ἀναγραφαὶ citantur schol. Pind. Isthm. I 11, Νεμεονῖκαι schol. Pind. Nem. VIII arg. cf. Nem. VI arg.; Εὐφορίων ἐν τῷ περὶ Ἰσθμίων saepius ab Athenaeo citatur (IIII 182 e, 183 f, XIIII 633 f, 635 a f), ubi de instrumentis musicis verba fiunt.

[1]) ἱεροποιοὶ... ἔθυον θυσίας τὰς πεντετηρίδας, τὴν εἰς Δῆλον, τὴν ἐν Βραυρῶνι, τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν (?) τὴν Ἐλευσῖνι.

lerunt[1]). Deli in insula etiam Polycratem paulo ante mortem suam agona celebrare voluisse e Suida comperimus s. v. ταῦτά σοι καὶ Πύθια καὶ Δήλια. inter ceteras autem insulas primo loco nominanda esse videtur Lesbus, in qua certamina musica acta esse ut statuamus, facile adducemur, si praeclara illa poetarum Lesbiacorum nomina magnumque civium, qui in agonibus Carneorum vicerunt, numerum respexerimus. in Samo quoque Polycratem tyrannum artibus musicis quam maxime favisse constat; Chios belli Ionici temporibus centum adulescentium chorum Delphos misisse Herodotus VI 27 narrat. in insula Paro Archilochum hymno in Cererem composito primum praemium reportasse tradit interpres quidam Aristophanis (ad Av. v. 1764). Carthaeae in Ceo insula Simonides adulescens chori magistri munere functus esse dicitur (inter ol. 60 et 64) ac χορηγεῖον quoque ibi extitisse narratur (Athen. X 456 f). simili modo aliis etiam locis[2]) in deorum honorem commissiones musicas habitas esse coniectura adsequi possumus. cum autem Persae saeculo sexto Asiae minoris insularumque finitimarum incolas in dicionem suam redegissent, aurea illa artium liberalium aetas interrupta est, donec libertate post bella Persica restituta hi quoque Graeciae populi novas opes ad artes illas colendas sibi paraverunt.

---

[1]) cf. Bergk Poet. lyr. Gr.[4] I p. 483.

[2]) De fabuloso Leschae Arctinique certamine cf. Bergk Hist. litt. Gr. II 48 adn. 50, Robert Bild u. Lied p. 226, Wilamowitz Homer. Untersuchungen p. 370.

Caput II.

De certaminibus musicis, quae Athenis inde a Pisistrati temporibus usque ad Alexandri aetatem celebrabantur.

Certamina musica Athenis non ante Pisistrati tempora fuisse videntur. omittendum enim puto, quod Solonem Athenis recitationem Homeri carminum instituisse Brauroniisque antiquitus rhapsodos in publicum prodiisse narrant, quod de certamine commisso nihil omnino licet statuere[1]). cum vero saeculo sexto ineunte magna illa Pythiorum Isthmiorum Nemeorum certamina instaurata essent atque eodem tempore in Peloponnesi urbibus commissiones musicae quam maxime florerent, consentaneum est Athenas, quae inde a Solonis aetate magna ceperant incrementa, iam in eo studio ceteris non cessisse. itaque Pisistratus, qui nihil praetermittebat, quin Athenarum opes auctoritatemque augeret, festos deorum dies omni modo amplificare et exornare studebat. veluti Eusebius ad ol. 53, 3 = 566 a. Chr. (II 94 Schöne) haec adnotat: ὁ τῶν Παναθηναίων γυμνικὸς ἀγὼν ἤχθη, id quod a Pisistrato factum esse testatur schol. Aristid. p. 323 D. τὰ δὲ μεγάλα Πεισίστρατος ἐποίησε[2]). nec multo post cum his ludis maioribus musicos quoque agonas coniunctos esse veri simile est (cf. Bergk. l. c. II 499)[3]). huc enim referenda videntur, quae de recitationibus rhapsodorum certis legibus insti-

[1]) Nihil enim de agone narrant Suid. s. v. Βραυρών, Hesychius s. v. Βραυρωνίοις; cf. Volkmann, Gesch. u. Kr. d. Wolff'schen Proleg. p. 308.

[2]) Wilamowitz Homerische Untersuchungen p. 248 adn. 13. De Panathenaeorum certaminibus cf. Meier Hall. Encycl. III 10 284 sq., A. Mommsen Heortologie p. 116 sq., Breuer de musicis P. certaminibus diss. Bonn. 1865, Michaelis Der Parthenon App. II p. 318, 322.

[3]) ἡ τῶν Παναθηναίων γραφὴ ἡ περὶ τοῦ μουσικοῦ ἀγῶνος citatur a Plut. de mus. 8, ubi de auloedorum artis primordiis verba fiunt.

tutis scriptores narrant[1]), cum alii Pisistratum, alii Hipparchum novi instituti auctorem nominant; cf. Diog. Laert. I 57, (Plat.) Hipparch. 228 B, Aelian. V. H. VIII, 2, Lyc. Leocrat. 102; tum etiam certamina rhapsodorum, quae saeculo quinto viguisse Ionis Platonici initium testatur, instituta esse facile ut sumamus adducimur. neque vero commissionibus musicis prorsus Panathenaea caruisse statuere licet. nam quamquam Periclem demum musicum certamen addidisse statuunt Plutarchi nisi testimonio, (Per. 13), tamen Wachsmuthio[2]) adsentior, qui Leakii et Gerhardi sententiam amplexus iam Pisistratidarum temporibus odeum Athenis fuisse putat ibique rhapsodos et citharoedos certasse collato Hesychii testimonio s. v. ᾠδεῖον· τόπος ἐν ᾧ πρὶν τὸ θέατρον κατασκευασθῆναι οἱ ῥαψῳδοὶ καὶ οἱ κιθαρῳδοὶ ἠγωνίζοντο. ac vix tibi persuadeas citharoedos, quos inde ab antiquissimis temporibus ad certamina descendisse scimus, Athenis medio demum quinto saeculo ad agonas admissos esse. qua de re infra pluribus disputabo: nunc ad Pisistratum redeo. is igitur auram popularem captans non modo deae summae sollemnia exornavit, sed Bacchi quoque cultum in primis auxit et amplificavit. atque acute observavit Wilamowitz l. c. p. 248 adn. 13 (cf. p. 310) Dionysia prima instaurata esse, cum prima tragoedia in scaenam producta sit, id est a. ol. 61, 3 (534 a. Chr.)[3]) (marm. Par. l. 58 ep. 43). neque vero chororum certamina illa aetate Athenis ignota fuisse nobis persuadebimus, si et tragoediam tum floruisse resputaverimus et Lasum Simonidem Anacreontem in Pisistratidarum regia versatos esse meminerimus. atque de Laso Suidas s. v. Λᾶσος haec habet: πρῶτος δὲ οὗτος ...διθύραμβον εἰς ἀγῶνα εἰσήγαγε, quae ad certamina Athenis Pisistratidis regnantibus habita referenda esse Bergkio (l. c. II 377 adn. 152) adsentior. sed alio prorsus modo sine dubio certamina illa in tyrannorum regiis instituebantur, atque ea quae liberatae iam celebrabant Athenae. quare suo iure auctor chron. Parii demum ol. 68, 1 (508 a. Chr.) (ep. 46 l. 61) primos virorum

---

[1]) cf. A. Mommsen l. c. p. 138, Wilamowitz l. c. p. 263, eundemque de verbis ἐξ ὑποβολῆς et ἐξ ὑπολήψεως p. 264 sq.

[2]) Stadt Athen p. 503 adn. 1. ac similia iam protulerat Breuer l. c. p. 19, 20. aliter statuit Hiller Herm. VII 395; cf. Lipsius Bursiani Ann. 1873, 2 p. 1399. sed hanc quaestionem intricatam sane hic pluribus pertractare ab instituto meo alienum esse videtur.

[3]) Idem quae apud Eusebium (II 98 Schoene) ad ol. 61, 3 adnotantur sic restituenda esse suspicatur: Ξενοφάνης φυσικὸς [καὶ Θέσπις] τραγῳδιοποιὸς ἠγωνίζετο.

choros certasse tradidit. nescio autem, cui tempori Simonidis Lasique certamen adscribendum sit, cuius, si quidem re vera actum est, memoriam servavit Aristophanes Vesp. 1410 sq.:

Λᾶσός ποτ' ἀντεδίδασκε καὶ Σιμωνίδης·
ἔπειθ' ὁ Λᾶσος εἶπεν· ὀλίγον μοι μέλει.

Denique Thargeliorum quoque sollemnia, quae posteriore aetate chororum agonibus celebrata esse scimus, a Pisistrato eiusque filiis maiore splendore instaurata esse pro explorato habere possumus. (cf. E. Curtius Das Pythion in Athen Herm. XII 492 sq.) Πύθιον enim, quod cum Thargeliorum celebratione arte cohaerere constat, Pisistratus aedificasse narratur[1]).

Pisistratidae igitur Athenas artium domicilium ac sedem musicorum et poetarum reddiderant. neque vero tyrannis expulsis ille artium musicarum flos siti exaruit; immo libera res publica poetarum certamina liberalius adeo ac sollemnius instituit. atque inter prima civitatis popularis instituta choragia videtur numeranda esse, quae cum novo tribuum ordine quam artissime cohaeret[2]). vide quae in chron. Par. l. 61 ep. 46 leguntur: ἀφ' οὗ χοροὶ πρῶτον ἠγωνίσαντο ἀνδρῶν, ὃν διδάξας Ὑπό(δι)κος ὁ Χαλκιδε(ὺς) ἐνίκ(ησεν) ἔτη ΗΗΔΔΔΔ[Γ] ἄρχοντος Ἀθήνησιν [Ἰ]σαγόρου (i. e. ol. 68, 1 = 508). hoc ergo anno primum non a choreutis mercede conductis, sed a liberis civibus carmina cantata sunt, primum tribus inter se certaverunt ipsique cives electi iudicum munere functi sunt. neque his in certaminibus defuerunt magni poetae. veluti Lasum etiam post Hippiam expulsum iterum Athenis degisse inde concludere possumus, quod inter Pindari magistros Athenis versantis nominatur[3]), quamquam mirum est eum, siquidem in urbe adfuit, a. 508 non in primo chororum certamine vicisse. praeterea Agathocles et Apollodorus hac aetate Athenis choros docuisse dicuntur; cf. quae narran-

---

[1]) cf. Suidas s. v. Πύθιον, Hesych. ἐν Πυθίῳ χέσαι. in Pythio aram consecraverat Pisistratus, Hippiae filius, titulo adiecto, qui a Thucydide VI 54 commemoratus nuper repertus est CIA IIII 373 a. atque hunc titulum ipsum Pisistratum, postquam Thargeliorum sollemnibus praesedit, scripsisse coniecit E. Curtius l. c. p. 495.

[2]) cf. Wilamowitz Herm. XX 66 sq.

[3]) Non tamen extra dubitationem ea res posita esse videtur. et in eis, quae apud Suidam s. v. Λᾶσος leguntur, „diversa misceri et ol. 58 (i. e. Sardium excidium) quadrare in septem sapientium consortium, Darii aetatem convenire cum Herod. VII 6“ Gutschmid monuit in Hesychii onomatologi ed. Flachiana p. LXIX.

tur in Pindari vita codicis Vratislav. A (Pindari opp. ed. Boeckh II 199) διδάσκαλον δὲ αὐτοῦ Ἀθήνησιν οἱ μὲν Ἀγαθοκλέα, οἱ δὲ Ἀπολλόδωρον λέγουσιν, ὃν καὶ προιστάμενον κυκλίων χορῶν ἀποδραμόντα πιστεῦσαι τὴν διδασκαλίαν τῷ Πινδάρῳ παιδὶ ὄντι, τὸν δὲ εὖ διακοσμήσαντα διαβόητον γενέσθαι. Simonides quoque saeculo quinto ineunte ex Thessalia Athenas rediisse videtur. cuius victoriam ol. 72, 4 (489 a. Chr.) reportatam chron. Parium l. 64 ep. 49 his verbis commemorat: ἀφ' οὗ Σιμωνίδης ὁ Σιμωνίδου πάππος τοῦ ποιητοῦ ποιητὴς ὢν καὶ [αὐτός, νικᾷ Ἀθή]νησι, ν........ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀριστείδου [1]). quam victoriam, cum sine dubio non prima fuerit poetae tum fere septuagenarii neque scriptor Parius eius modi victorias commemoret nisi aliqua de causa memorabiles, homines docti summa cum probabilitate ad elegiam illam rettulerunt, qua Aeschylum ab eo victum esse narrant [2]) (cf. vita Aesch. p. 380 Kirchhoff: ἀπῆρε δ' ὡς Ἱέρωνα ...... ἐν τῷ εἰς τοὺς ἐν Μαραθῶνι τεθνηκότας ἐλεγείῳ ἡσσηθεὶς Σιμωνίδῃ). quantus autem poetarum certantium certaminumque fuerit numerus, inde potest colligi, quod Simonides se quinquaginta et sex victorias chororum in agonibus reportasse ipse gloriatur (epigr. 145 B.), quarum maior pars sine dubio Athenis parta est. et celeberrima in primis ipsius poetae epigrammate (147 B.) victoria erat illa Adimante archonte comparata, cf. chron. Par. l. 70 ep. 54, ubi verbis ..Σιμωνίδης ὁ Λεωπρέπους ...ἐνίκησεν Ἀθήνησιν διδάσκων ipsa poetae verba respiciuntur:

---

[1]) De his verbis sententiam perversam proposuit Flach (Chron. Par. p. 23. Griech. Lyrik p. 612 adn. 1), qui hominem illum ita ineptum fuisse putat, ut pro Σιμ. ἀπόγονος Σιμωνίδου ποιητοῦ ὄντος καὶ αὐτοῦ ea scripserit, quae nunc leguntur. sed de Simonidis nepotis victoria nullo modo potest cogitari, quippe qui, etsi a. 489 circa viginti annos natum eum fuisse concedamus, non lyricus fuerit poeta, sed γενεαλογίαν ἐν βιβλίοις γ', εὑρήματα ἐν βιβλίοις γ' (Hesych.) scripserit. qua autem de causa scriptor Parius Simonidem summum illum poetam eis verbis additis ab altero Simonide obscuriore distinguere studuerit, nescio neque hercle interest scire; cf. Bergk. Hist. litt. Gr. II 358 adn. 96. Simonidem vero genealogum neque a. 489 neque postea epicis suis carminibus Athenis vicisse probabiliter satis statuere licet.

[2]) Eius modi certamina propius ad eum, qui est hac aetate, concertationum poeticarum accedebant morem. monuit Benndorf (Ueber das Cultusbild der Athena Nike p. 35 adn.) in monumentis saepius tria epigrammata, in eiusdem rei honorem condita, coniuncta esse, id quod e certamine instituto explicandum esse videtur. idemque contulit Athenaei locum XV 697 a.

ἀμφὶ διδασκαλίῃ δὲ Σιμωνίδῃ ἕσπετο κῦδος
ὀγδωκονταέτει παιδὶ Λεωπρέπεος.

atque eodem tempore Pindarus quoque Athenis saepius versatus est. certe Dionysiis magnis cantatus est dithyrambus ille, cuius initium pulcherrimum nobis servavit Dionys. Hal. de comp. verb. c. 22 (Pindar. fr. 75 B.)[1]) et Simonidem quondam a Pindaro victum esse narrat scholiasta Pind. Ol. VIIII 74; cf. Bergk. ad Simon. fr. 75 (P. L. G.[4] III 420), adde quod Antigenis[2]) cuiusdam victoriam testatur epigramma illud, iniuria inter Simonidis vel Bacchylidis reliquias receptum (148 B. P. L. G.[4] III p. 497), de quo nuper Wilamowitz docte et sagaciter exposuit Herm. XX 62 sqq.; Acamantis tunc tribus virorum choro, quem instruxerat Hipponicus Struthonis filius choragus, vicerat Dionysiis magnis[3]).

---

[1]) Elegantissimum carmen in chororum certamine poetam docuisse certius adfirmare possemus, si verae essent coniecturae a Bergkio propositae ad vv. 7 sq.:

ἀμοιβὰν Διόθεν τέ με σὺν ἀγλαΐα
ἴδετε πορευθέντ' ἐς ἅμιλλαν δεύτερον.

[2]) Apud Diogenem Laertium II 5, 26 (46) haec legimus: τούτῳ τις, καθά φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τρίτῳ περὶ ποιητικῆς, ἐφιλονείκει Ἀντίλοχος .... καὶ Πινδάρῳ Ἀμφιμένης ὁ Κῷος. quo nomine eundem virum significari coniecerunt Hecker Schneidewin Bergk. sed in epigrammate nomen non licet immutare.

[3]) Eidem aetati adsignandum videtur epigramma, quod sub Anacreontis nomine circumfertur (106 B.)

Παιδὶ φιλοστεφάνῳ Σεμέλας ἀνέθηκε Μέλανθος
μνᾶμα χοροῦ νίκας υἱὸς Ἀρηϊφίλου

quibus versibus cuius regionis certamina respiciantur, definiri nequit. aliud quoque victoriae musicae testimonium nancisceremur, si pro certa vendere liceret ingeniosam Bergkii coniecturam, quam de constituenda chronici Parii linea 61 (ep. 47) (p. 22 F.) proposuit (Hist. litt. Gr. II 536 adn. 39): ἀφ' οὗ Με⟨λαν⟩ιππίδ⟨ης ἐνίκησ⟩εν Ἀθήνησιν.... ἄρχοντος Ἀθήνησιν Πυθοκρίτου (ol. 71, 3) pro NE ..... ΙΠΠΙΑ, quae exhibuerunt Chandlerus et Semlerus. hodie vero cum tanta scripturae pars in lapide evanuerit neque in Doppi et Flachii ectypis ullum huius epochae vestigium adpareat nisi sola littera N, certum de lacunae supplemento iudicium proferri nequit; constat enim in lapide illo neque e spatiorum magnitudine neque e litterarum numero quicquam posse colligi. et profecto Bergkii coniectura multo mihi praestare videtur Chandleri et Boeckhii supplementis novissimoque Flachii invento: ἀφ' οὗ νέ[ον πόλεμον] Ἱππία[ς αἵρεσθαι Πέρσας ἔπεισ]εν Ἀθηναίοις i. e. πρὸς Ἀθηναίους. sed ad irritum cadat coniectura illa speciosa, si recte Rohdium Mus. Rhen. XXXIII 213 sq. statuisse concedamus Melanippidem illum priorem, quem Melanippidis praeclarissimi poetae avum Suidas dicit, numquam vixisse eiusque nomen tantum a grammaticis confictum esse.

Dignum autem memoratu videtur, quod in vetustissimis publicis victoriarum choricarum testimoniis (CIA II, 2 971 *a b*, Dittenberger Syll. 405, 406) tribus tantum et choragus nominantur, non chorodidascalus vel tibicen, contra in comoediis et tragoediis poetae nomen non omittitur[1]). qui mos, cum antiquitus institutus esse videatur, posteriore quoque valebat aetate (cf. CIA II 971 *c d e*), quamquam in eiusdem aetatis titulis choragicis poetae vel magistri et tibicinis nomina addi soleant.

Isdem tabulis (CIA II 971) etiam manifesto evincitur certamina, quae magnis Dionysiis celebrabantur, eo ordine sese excepisse, ut praemitterentur puerorum et virorum chori lyrici, sequerentur comoediae et tragoediae[2]), quibus de rebus antea vel maxime homines docti dubitaverant. et de choricis certaminibus, quae saeculi quinti parte altera et saeculo quarto habebantur, infra pluribus disputabo; scaenica autem hic verbo tetigisse sat habeo, quippe quae separatim tractanda sint et accuratiore, quam hic mihi instituere licet, disputatione egeant[3]). quare iam ad alia comissionum musi-

---

[1]) Vel maxime dolendum, quod prima tituli illius linea non servata est, in qua et tempus et certamina accurate erant definita. qua de re postquam varias homines docti protulerunt coniecturas, nuper Koehler in CIA II, 2 p. 395 scribendum proposuit: ....ἀφ' οὗ πρῶτον κῶμοι ἦσαν τῶν τραγῳδῶν καὶ τῶν κωμῳδῶν. recte vero contra dixisse videtur Wilamowitz (Homer. Untersuchungen p. 248 adn. 13) hanc formulam ab usu dicendi abhorrere contendens; qua re scribere mavult: (ἐπὶ — ἄρχοντος πρῶ|τ)ον κῶμοι ἦσαν τῶ[ι Διονύσωι]. ipse vero sic fere primam lineam redintegrandam esse cogitabam ......ἀφ' οὗ πρῶτ]ον κῶμοι ἦσαν [τῶ(ι ἀγῶνι τῶν Διονυσίων aut τ(ῶν ἐν ἄστει Διονυσίων τῷ ἀγῶνι). exemplum autem prorsus conveniens non inveni. Koehlero enim et Dittenbergero, qui in hoc laterculo victores tragicos inde ab eo anno, quo primo chorus tragicus datus sit, scriptos fuisse dicunt, adsentiri non possum; immo in lapide nobis servato victores certaminum Dionysiacorum inde ab eo anno enumeratos esse puto, quo et lyrici et tragici et comici acti sunt agones; contra in alio iam deperdito tragici et lyrici victores recensiti erant inde a primis certaminibus Dionysiacis instauratis usque ad eum annum, quo comoedia quoque inter agonum genera recepta est; id quod acute perspexit Wilamowitz l. c.

[2]) cf. legem Euegori Demosthenis orationi Midianae insertam (§. 10): καὶ τοῖς ἐν ἄστει Διονυσίοις ἡ πομπὴ καὶ οἱ παῖδες καὶ ὁ κῶμος καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοί, ubi Foucart (Revue de philologie 1877 p. 179) post vocem κῶμος verba καὶ ὁ ἀγών, Bergk (Mus. Rhen. XXXIIII 331) rectius, ut mihi quidem videtur, post παῖδες καὶ οἱ ἄνδρες inserenda esse censuit.

[3]) Aristoteles Polit. VIII 6 (1341 a), ubi tibiarum artem saeculi quinti parte priore quam maxime cultam esse Athenis dicit, haec addit: δῆλον δὲ ἐκ τοῦ πίνακος, ὃν ἀνέθηκε Θράσιππος Ἐκφαντίδῃ χορηγήσας. quae Bergk (l. c.

carum genera, quae Athenis illa florebant aetate, tractanda transeo. etenim tibicinum et auloedorum, citharistarum et citharoedorum singulorum certamina non cum festis Bacchi diebus, sed cum Minervae sollemnibus coniuncta erant. atque ut quondam Pisistratidae, sic medio saeculo quinto Pericles Panathenaeorum splendorem omni modo augere studuit. quem primum agona musicum Panathenaeis instituisse Plutarchus narrat his verbis (Per. 13): φιλοτιμούμενος δ' ὁ Περικλῆς τότε πρῶτον ἐψηφίσατο μουσικῆς ἀγῶνα τοῖς Παναθηναίοις ἄγεσθαι καὶ διέταξεν αὐτὸς ἀθλοθέτης αἱρεθεὶς καθότι χρὴ τοὺς ἀγωνιζομένους αὐλεῖν ἢ ᾄδειν ἢ κιθαρίζειν. haec igitur omni ex parte vera esse iam antea negavi; citharoedorum enim commissiones Athenis antiquitus usitatas esse cum alia demonstrant tum colligi potest ex titulo CIA I 357 (cf. CIA IV p. 40): Ἀλκίβιος | ἀνέθηκεν | κιθαρῳδὸς | Νησιώτης. quem propter vetustissimas litterarum formas ad extrema sexti saeculi decennia referendum esse Schütz (Hist. alph. attici Berolini 1875 p. 14) demonstravit[1]). ac praeclarissimum quemque artificem musicum Athenis versatum esse ibique maximo civium favore floruisse demonstrant ea, quae Plutarchus (Them. 5) de Themistocle memoriae tradidit: τῇ δὲ φιλοτιμίᾳ πάντας ὑπερέβαλεν, ὥστ' ἔτι μὲν νέος ὢν καὶ ἀφανὴς Ἐπικλέα τὸν ἐξ Ἑρμιόνης κιθαριστὴν σπουδαζόμενον ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ἐκλιπαρῆσαι μελετᾶν παρ' αὐτῷ, φιλοτιμούμενος πολλοὺς τὴν οἰκίαν ζητεῖν καὶ φοιτᾶν πρὸς αὐτόν. denique tibicines quoque iam saeculo sexto exeunte aut ineunte quinto certaminibus Panathenaicis interfuisse recte Furtwängler (Arch. Zeit. 1881 p. 303) inde collegit, quod vas parvum aetati illi adscribendum adhuc extat (Northamptoniae), in cuius uno latere Minerva inter duas columnas ea specie, qua semper in vasibus Panathenaicis cernitur, in altero tibicen inter duos iudices conspiciuntur[2]). cuius argu-

---

II 532 adn. 21) ad victoriam dithyrambo partam referre voluit. et re vera haud facile intellegitur, quo modo ex titulo ad comoediam spectante colligi possit Athenienses illa aetate omnes tibiarum cantui studuisse. neque tamen propterea audeo Ecphantidi poetae comico (cf. Meinekii Hist. com. gr. p. 35 sq.) dithyrambos adscribere, praesertim cum tabula dedicata optime conveniat victoriae scaenicae (cf. Bergk l. c. III 60 adn. 205).

[1]) cf. etiam Kirchhoffium ad CIA I 372.

[2]) Auloedos quoque iam antiquitus Panathenaeis in scaenam prodiisse inde fortasse colligere licet, quod ἡ τῶν Παναθηναίων γραφὴ ἡ περὶ τοῦ μουσικοῦ ἀγῶνος tamquam testimonium adhibetur, ubi de antiquissimis auloedis verba fiunt (Plut de mus. 8).

menti vis eis non infringitur, quae dixit Urlichs Beitr. z. Kunstgesch. p. 56 adn. 76. accedit quod Aristotele teste ipsi quoque cives Athenienses tibiarum cantui saeculi quinti parte priore quam maxime operam dabant (Polit. VIII 6 (1341 a), cf. Ath. IIII 184 d). causam igitur non habemus, cur fidem scholiastae in dubium vocemus, qui Pind. Pyth. XII arg. Midiam Agrigentinum, quem ol. 71, 3 et 72, 3 Pythiis tibiarum cantu vicisse scimus, Panathenaeis quoque primum praemium rettulisse narrat.

Quae cum ita sint, Periclem non primum certamina musica in Panathenaeorum sollemnia induxisse, sed maiore tantum splendore ea instaurasse statuemus, ita ut plures prodirent artifices certoque ordine certisque legibus de praemiis publice propositis certarent. quae certaminum genera tum primum, quae iam antea instituta sint, in tanta testimoniorum penuria accuratius definire nequimus. neque de anno, quo Pericles has res novavit, certum quicquam licet statuere. scimus quidem Periclem novum odeum extruxisse ad certamina illa celebranda [1]) satisque veri simile est extructo demum novo odeo primum agonas novo ordine et maiore magnificentia institutos esse [2]). cf. Plut. Per. 13 ἐθεῶντο δὲ καὶ τότε καὶ τὸν ἄλλον χρόνον ἐν ᾠδείῳ τοὺς μουσικοὺς ἀγῶνας (cf. Wachsmuth Stadt Athen p. 554 adn. 2). neque vero quo tempore odeum aedificatum sit, satis constat, neque argumentum illud quicquam valet, quod ex scholio ad Aristoph. Nub. 971 homines docti repetere studuerunt. ibi enim haec de Phrynide citharoedo traduntur: οὗτος

---

[1]) Plut. Per. 13. — Phot. et Suidas s. v. ᾠδεῖον. in Cratini comoedia cui Θρᾷτται inscriptum erat, hi recitati sunt versus: (fr. 71 Kock I p. 34)

ὁ σχινοκέφαλος Ζεὺς ὅδε προσέρχεται
Περικλέης, τᾠδεῖον ἐπὶ τοῦ κρανίου
ἔχων, ἐπειδὴ τοὔστρακον παροίχεται.

quos cum ad testarum suffragium a. ol. 83, 4 (445/4 a. Chr.) habitum referrent, fabulam illam anno 446 in scaenam inductam eodemque anno odeum extructum esse homines docti statuerunt (Wachsmuth l. c. 554 adn. 2). sed temporis definitionem minime certam esse monuit Wilamowitz (Herm. XIIII 319 adn. 3). Sauppe (Götting. Nachr. 1865, p. 247) ingeniose coniecit titulum illum, qui nunc extat in CIA I 300 sq., in quo a curatoribus operis alicuius publici ἐπὶ τῆς τετάρτης καὶ δεκάτης βουλῆς Cratete archonte (ol. 86, 3 = 434/3) rationes redduntur, ad opera Pericle auctore extructa referendum atque odeum primo quattuordecim senatuum illorum anno i. e. ol. 83, 2 (= 447/6 a. Chr.) incohatum esse.

[2]) De certaminibus musicis a Pericle primum institutis cf. Breuer l. c. p. 18 sq., A. Mommsen Heortologie p. 138 sq.

δὲ δοκεῖ πρῶτος κιθαρίσαι παρ' Ἀθηναίοις καὶ νικῆσαι Παναθηναίοις ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος (ol. 81, 1, 92, 2, 93, 3). quae Meier l. c. p. 285 ita emendanda esse putabat, ut pro ἐπὶ Καλλίου scriberetur ἐπὶ Καλλιμάχου (ol. 83, 3 = 446/5 a. Chr.). verum scholiasta Phrynim non primum Panathenaeis vicisse, sed primum Athenis citharam pulsasse narrat, id quod falsum esse cum per se patet, tum ea, quae antea dixi, demonstrant. qua re, etiam si πρῶτος ad νικῆσαι referri posse concedas, tamen narratione tam dubiae fidei tamquam novae coniecturae fundamento uti vix audeas. archontis denique nominis mutationem, quamquam satis speciosa est, cum Callimachus maiorum Panathenaeorum anno munere suo functus sit, necessariam esse nego [1]; nam Panathenaeis quoque minoribus singulorum hominum certamina musica non defuisse veri simile est, cum choricae commissiones in eis habitae sint. sed hanc rem in medio relinquamus.

Quamquam igitur certis de tempore, quo Pericles certamina musica instauravit, testimoniis destituti sumus, novum illum ludorum ordinem intra annos 450 et 440 institutum esse recte ex rebus aetate illa gestis homines docti statuerunt.

Restat, ut de certaminum generibus, quae Panathenaeis instituebantur, paucis agam, cum diversas de his rebus sententias homines docti protulerint. duo igitur nobis servata sunt fragmenta tituli saeculi quarti parte priore exarati, quo praemiorum, quae victoribus in Panathenaeis maioribus data sunt, descriptio continebatur [2]. ac priorem lapidis partem, quae ad certamina musica spectat, hic proponam necesse videtur; iure enim fere omnia, quae saeculi quarti initio instituta valebant, ad Periclis aetatem referemus.

....
... πρώτῳ) στ(έφανος) [3])
... (δευτ)έρῳ
... (τ)ρίτῳ
κιθαρῳδοῖς
πρώτῳ στέφανος

---

[1]) cf. Breuer l. c. p. 19, Bergk l. c. II 537 adn. 44.

[2]) Rangabé 961; nunc melius CIA II, 2 965.

[3]) In vv. 6 sq. sinistram versus nihil amplius scriptum fuisse videri monet Koehler, qui in ceteris numeris restituendis e varia notarum magnitudine aliquantum iudicium fieri posse dicit. praemiorum varios gradus recte perspexit et definivit Boeckh Staatshaush. I 299. cf. praeterea, quae de hoc titulo dixerunt Sauppe ind. schol. aest. Gotting. 1858, Breuer l. c. p. 22 sq., Mommsen l. c. p. 139 sq., Bergk l. c. II 500 adn. 11.

X θαλλοῦ χρυσοῦς[1])
𐅅 ἀργυρίου
(X) H H δευτέρῳ
(𐅅 H) τρίτῳ
(H H) H H τετάρτῳ
H H H πέμπτῳ
ἀνδράσι αὐλῳδοῖς
H H H πρώτῳ τούτ(ου στ)έφανος
H δευτέρῳ
ἀνδράσι κιθαρισταῖς
𐅅 πρώτῳ τούτου
στέφανος H H H
(— H H) δευτέρῳ
H τρίτῳ
αὐληταῖς
(— H) πρώτῳ τούτου στέφανος
(δευτέ)ρῳ

ante citharoedorum praemia quae scripta sunt, ad rhapsodos spectare Rangabé recte suspicatus est, id quod nunc confirmatur titulo nuper Oropi reperto[2]), qui infra iterum mihi commemorandus erit: quem tamen iam hoc loco proponam, cum accuratissime cum hoc, quem tractamus, titulo consentiat:

. . ΩΜΕΤΑΛ.
ς Πάμφιλος ᾿Αθη(ναῖος
. . . Λ. . . . Λύσανδρος Θηβαῖ(ος· ῥαψ
ωιδὸς. . . . . . . στρατος Σικυώνι· ἀνὴ(ρ κι
θαριστὴ(ς. . . .)ς Θετταλός· ἀνὴρ αὐλωιδό(ς Χ
αρίας ᾿Αθη(να)ῖος· αὐλητὴς Κλείταρχος ᾿Αθ(η
ναῖος· κιθαρωιδὸς Κλεόνικος ᾿Αθηναῖος·
σοφι(στ)ὴς (Π)αυσίμα(χ)ος ᾿Αθηναῖος.
(secuntur victorum gymnicorum nomina).

etsi enim ordo artificum, qui tibiis citharaque usi sunt, paulum diversus est, tamen in utroque titulo prorsus eadem certandi genera enumerantur, unde rhapsodos in utroque titulo ante artifices musicos

---

[1]) Titulum edidit Kumanudis Eph. arch. ser. III (1884) 128 n. 5., qui eum propter litterarum formas saeculo quarto a. Chr. adscribit.

[2]) Cum titulus στοιχηδὸν scriptus sit, in vs. 2 : 16. in vs. 3 : 15 litterae suppleri debent.

scriptos fuisse colligere licet. citharoedos autem inter omnes summo honore floruisse videmus, cum quinque eis destinentur praemia, quorum primum MD drachmas pretio aequabat. miramur hercle Athenienses tantam pecuniam his rebus impendisse vel ea aetate, qua opibus iam non multum floruisse videntur: sed etiam in tabulis quaestorum Minervae anni ol. 95, 3 (398/7 a. Chr.) CIA II 652 vv. 36 et 37 inter multas alias res haec quoque traduntur: στέφανος θαλλοῦ χρυσοῦς, ὃν ἡ πόλις ἀνέθ(ηκε τ)ὰ νικητήρια τοῦ κιθαρῳδοῦ· σταθμὸν τούτου ΓΗΔΔΔΓ. cum corona LXXXV drachmarum auri respondeat fere M drachmis argenti, Panathenaeis anni ol. 95, 3 (398/7 a. Chr.) idem praemium destinatum fuisse citharoedo videmus, quod nescio qua de causa Minervae dedicatum est [1]). (Boeckh Staatshaush. I 299, II 252, Bergk l. c. II 500 adn. 11) citharoedos denique victores apud Athenienses in ore omnium fuisse demonstrari potest Execestidis illius exemplo, qui cum exeunte saeculo quinto bis Panathenaeis vicisset, saepissime ab Aristophane aliisque comicis poetis commemoratus est [2]). de Phrynidis victoria antea dixi; quem si a Timotheo adulescente victum esse audimus [3]), hoc in citharoedorum certamine Panathenaico factum esse nostro iure statuemus [4]).

Citharoedos in titulo Attico excipiunt ἄνδρες αὐλῳδοὶ et ἄνδρες κιθαρισταί, quos minoris aestimatos esse praemia eis proposita demonstrant. Bergk (l. c. II 501 adn.) vocibus ἀ. αὐλῳδοῖς, ἀ. κιθαρισταῖς, αὐληταῖς choros citharistarum et auloedorum intellegendos esse putat. quae sententia manifesto falsa est. neque enim verba πρώτῳ δευτέρῳ τρίτῳ, cum antecedat ἀνδράσι κιθαρισταῖς, alio modo explicari possunt nisi supplèto substantivo ἀνδρὶ κιθαριστῇ (vel αὐλῳδῷ) πρώτῳ, δευτέρῳ, prorsus eodem modo, quo primo alteri tertio citharoedo praemia designata sunt. neque ipsa praemia choris

---

[1]) Vasa quae dicuntur Panathenaica, in quibus citharoedi depicti sunt, L. Stephani (Compte rendu de la commission arch. 1876 p. 52 et 107) tria enumerat (Gerhard Etrusc. u. campan Vasenb. 1; Vas. gr. of the brit. mus. 573***. Catal. Campana IV 513), quibus addi potest vas Nolanum, quod nunc extat in museo Berolinensi (Arch. Zeit. XXXVII 105). musicis autem victoribus non amphoras oleo repletas, sed coronas et pecuniam praemiis data esse titulus CIA II 965 demonstrat.

[2]) Locos collegit Th. Kock in comment. ad Aristoph. Av. 11.

[3]) Plut. de se ips. laud. 1. Timoth. fr. 11 B.

[4]) Ad idem certamen quoque referenda videntur, quae Plutarchus memoriae tradidit de aud. poet. 4 (22 A): Τιμοθέῳ μὲν γὰρ ᾄδοντι τὴν Ἄρτεμιν ἐν τῷ θεάτρῳ ... Κινησίας εὐθὺς ἀντεφώνησε..., cf. de superstit. 10 (170 A).

conveniunt, quibus alia quae dicuntur νικητήρια data esse veri simile est; cf. eiusdem tituli l. 71: νικητήρια παισὶν πυρριχισταῖς. βοῦς · εὐανδρίᾳ φυλῇ νικώσῃ βοῦς e. q. s. si autem pecuniae praemia choris designata fuisse concedimus, trecentae drachmae exiguum sane atque indignum erat praemium chori victoris, qui utique duodecim vel quindecim viros complectebatur. certe posteriore aetate Lycurgi oratoris temporibus, in Posidoniis Piraeensibus, quae Panathenaeis sine dubio auctoritate cedebant, choris cycliis M et DCCC et DC drachmas praemio datas esse scimus; cf. (Plut.) vit. X or. Lyc. 13. neque denique usquam de citharistarum choro quicquam audimus neque perspicere possumus, quid interfuerit inter chorum auloedorum et chorum αὐλητῶν, quem Bergk tibiis accinentibus carmina cyclia cantasse putabat. quibus argumentis nunc accedit gratissimum tituli Oropii testimonium, in quo cum ἀνὴρ αὐλωιδός, ἀνὴρ κιθαριστὴς scriptum sit, singulos viros certasse extra omnem dubitationem positum est. restat tamen alia quaestio de auloedis et citharistis eaque difficilior diiudicatu; auloedis enim et citharistis ἀνδράσι additum videmus, cum apud citharoedos et tibicines accuratior definitio desideretur. quam rem ita explicaverunt homines docti, ut viros auloedos et viros citharistas opponi pueris auloedis et pueris citharistis, quibus separata praemia proposita essent, statuerent; cf. Breuer l. c. p. 24. neque negari potest ἀνδράσι adiectum re vera eo nos deducere. decerni autem fortasse res poterit accuratius inspectis tituli Oropii lineis primis, quibus certamina puerorum, si re vera habebantur, commemorata fuerunt [1]), cum hic quoque citharista et auloedus verbis ἀνὴρ κιθαριστής, ἀνὴρ αὐλῳδὸς designati sint. iniuria vero sine dubio Breuer l. c. adiciendum

[1]) Iure nostro miramur, quod summo deae die festo singuli pueri certaminis initio prodibant quae in citharistae ludis didicerant demonstraturi neque eum morem iam Periclis aetate valuisse mihi persuadere possum. Apaturiorum quidem in sollemnibus iam antiquitus pueros rhapsodiis de praemiis propositis certasse Plato Tim. 21 B testatur; παῖς vero κιθαριστὴς aut. π. αὐλῳδὸς nusquam commemoratur. παιδὶ κιθαρῳδῷ praemium designatur in titulo Aphrodisiensi CIG 2758 aetatis Romanae; atque imperatorum Romanorum temporibus etiam παῖς κωμῳδὸς in certamina prodiit (Wood Discov. at Ephesus, Inscriptions from the site of the temple of Diana p. 16 n. 15) cf. etiam CIG 3088. Κιθαρισμός inter certaminum genera apparet, quae in titulis Teis CIG 3088 (cf. 3059) et Chio CIG 2214 ad puerorum agonas spectantibus enumerantur, ubi aulodiae non fit mentio. verum tamen negari nequit Athenis, ubi pueri totiens in choris cycliis cantabant tibiis accinentibus, saeculo quarto singulos adeo pueros hoc cantus genere publice certavisse.

putavit ἀνδράσι etiam substantivo αὐληταῖς, quae coniectura et Koehleri apographo et titulo Oropio refellitur. tibicinum autem puerorum certamen Athenis, ubi pueri inde ab Alcibiadis temporibus tibiarum cantum non edocebantur, saeculo quinto exeunte institutum non fuisse pro certo potest adfirmari. quod vero Bergk etiam praemia αὐληταῖς designata ad choros cyclios referenda esse putavit, id iam antea refutatum est; singuli enim viri assis tibiis certabant atque ipsi sibi quisque victoriam comparare studebant [1]).

Haec igitur sunt, quae de hominum singulorum certaminibus musicis comperta habemus [2]). num autem praeter rhapsodos, citharoedos et citharistas, auloedos et tibicines etiam ἐπῶν ποιηταὶ aut προσοδίων ποιηταὶ prodierint, num posteriore tempore praeconum quoque tubicinumque certamina adiecta sint, decernere nequimus. certe per longum temporum decursum in Panathenaeorum celebratione haud pauca novata vel immutata sunt [3]). ita titulum illum, quem tractavimus, eo tempore lapidi incisum esse, quo in certaminibus aut praemiis discriptis graviores quaedam immutationes factae sunt, satis veri simile est.

De choricis Panathenaeorum certaminibus paucissimas tantum res cognitas habemus. veluti is, pro quo Lysiae oratio XXI scripta est, se Panathenaeis minoribus anni 409/408 chorum cyclium in-

---

[1]) Non enim huc referre licet ἄνδρας αὐλητάς, qui commemorantur Demosth. XXI 156, quibus verbis cyclium virorum chorum significari recte statuerunt homines docti. cf. Bergk l. c. videtur autem is usus dicendi inde a Demosthenis temporibus initia cepisse, ea autem, qua ille praemiorum index scriptus est, aetate nondum valuisse. nam si hic verbo αὐληταὶ chorus significaretur, necesse erat aetatem certantium accuratius definire.

[2]) Quid Pollux IIII 83 significaverit his verbis: Ἀθήνησι δὲ καὶ συναυλία τις ἐκαλεῖτο. συμφωνία τις αὕτη τῶν ἐν Παναθηναίοις συναυλούντων, iam hoc tempore expiscari non licet; cf. Breuer l. c. p. 29 sq.

[3]) Belli Peloponnesiaci aetate parodiarum quoque poetas certamina iniisse scimus Hegemone Thasio, ut videtur, auctore, cf. quae Ath. XV 699 a e Polemonis libro περὶ τῶν τὰς παρῳδίας γεγραφότων duodecimo descripsit: τούτων δὲ πρῶτος εἰσῆλθεν εἰς τοὺς ἀγῶνας τοῦς θυμελικοὺς Ἡγήμων, καὶ παρ' Ἀθηναίοις ἐνίκησεν ἄλλαις τε παρῳδίαις καὶ τῇ Γιγαντομαχίᾳ. quae certamina non Dionysiis (Athen. VIIII 407 a), sed Panathenaeis acta esse ipsius Hegemonis verba demonstrare videntur, cf. vv. 18—20 apud Athen. XV 698 f servatos: Ταῦτά μοι ὁρμαίνοντι παρίστατο Παλλὰς Ἀθήνη, χρυσῆν ῥάβδον ἔχουσα, καὶ ἤλασεν εἶπέ τε φωνῇ· Δεινὰ παθοῦσα, Φακῆ βδελυρή, χώρει 'ς τὸν ἀγῶνα. cf. H. Schrader Mus. Rhen. XX 186 sq., Bergk l. c. II 487 adn. 3, 6, qui Chamaeleontis Heracleotae narrationem (Athen. VIIII 407 b c) omni fide carere demonstrant.

struxisse dicit[1]); Demosthenes quoque Panathenaeis choragi munere functus est[2]); nescimus autem, qualis fuerit chorus. titulus denique, qui duabus basibus anaglyphis ornatis, apud Propylaea repertis, inscriptus est[3]):

a. Νική[σας κυκλίῳ χο]ρῶι,

b. πυρριχ]ισταῖς νικήσας Ἄταρβος Λυ[σίου ἀνέθηκεν? Κ]ηφισόδωρος [ἦρχεν][4]).

propter pyrrhichistarum mentionem ad victorias Panathenaeis reportatas spectare videtur[5]).

Sine dubio in his sollemnibus certamina chorica multo minoris momenti[6]) erant quam Dionysiis et Thargeliis; dithyrambus[7]) enim, qui saeculo V. et IIII. vel maximo a populo studio colebatur cum

---

[1]) §. 2 καὶ ἐπὶ Διοκλέους (ol. 92, 4=409/8 a. Chr.) Παναθηναίοις τοῖς μικροῖς κυκλικῷ χορῷ τριακοσίας (δραχμὰς ἀνήλωσα); cum in ceteris choragiis enumeratis addi soleat choreutarum aetatis significatio, unum tantum chororum genus Panathenaeis minoribus in scaenam prodiisse videtur.

[2]) Dem. XXI 156; choragi in Panathenaeis commemorantur etiam in libello de rep. Ath. III. 4 et in schol. Dem. Lept. 465, 28.

[3]) Post Beuléum (l'acropole d'Athènes II 315) et Rangabéum (Ant. hell. 987) Michaelis hunc titulum accuratius edidit (Mitth. d. d. arch. Inst. I 295), qui id monumentum privatum fuisse recte perspexit. cf. Sybel Katalog d. Sculpt. z. Athen p. 385.

[4]) Cephisodorus archon fuit a. ol. 103, 3 (366/5 a. Chr.) et ol. 114, 2 (323/2 a. Chr.); quorum alterum propter litterarum formas hoc loco significari censet Michaelis Annali 1862 p. 216.

[5]) Iniuria Breuer l. c. p. 12 titulum Eph. arch. ser. II 1862 n. 219, cuius mediam partem hic propono

Νικοκλῆς Ἀριστοκλέους
Παναθήναια | τὰ μεγάλα
Πύθια Πύθια Πύθια   Πύθια Πύθια Πύθια
Λήναια
διθυράμβῳ

ad chorica Panathenaeorum certamina spectare putat; διθυράμβῳ enim cum Λήναια tantum coniungendum est; ceteras victorias in citharoedorum certaminibus Nicocles reportavit, cf. Koehler Mus. Rhen. XXXVIIII 298 et quae infra disputavi. ad Panathenaeorum agonas referendos esse dicunt versus Eurip. Heracl. 777 sq., e quibus nihil omnino certi colligere licet (cf. Mommsen l. c. p. 170 adn. Bergk l. c.).

[6]) Chorus ille apud Lysiam commemoratus non plus trecentis drachmis constitit; contra chorus Dionysiis institutus IↃↃ drachmarum, chorus Thargeliis prodituros MM drachmarum sumptu ab eodem chorago instructus erat; Lys. XXI 1 sq.

[7]) Lenaeis quoque dithyrambos in certamina productos esse solus testatur titulus in adn. 4. adlatus, qui exeunti saeculo quarto adsignandus est. qui mos num iam antiquioribus temporibus institutus sit, iure dubitari potest.

Bacchi diebus festis artissime coniunctus est. eis igitur in ludis victorias coronasque reportaverunt Timotheus Philoxenus Melanippides Telestes Cinesias, quos summi quidem viri, Plato Aristophanes Aristoxenus, veram artem musicam corrupisse questi sunt[1]), populus vero in theatris summis exornavit laudibus[2]). sed pauca de eorum victoriis habemus testimonia, id quod fortasse inde explicari potest, quod in publicis victorum Dionysiacorum indicibus poetarum musicorumque nomina non inscribebantur[3]) ideoque victoriarum numerum non tam facile licebat definire quam in poetis scaenicis. de Timothei certaminibus Panathenaicis antea dixi. ad quae autem sollemnia referenda sint quae de Timotheo a Philota quodam devicto apud Athenaeum[4]) narrantur dubium est. Telestis victoria quaedam ol. 94, 3 (402/1 a. Chr.) marmore Pario l. 79 ep. 65 commemoratur (cf. Dopp de chron. Par. p. 36), quam primam fuisse eius poetae satis veri simile est. atque ex eodem fonte poetam quendam Selymbrianum intra annos ol. 95, 3 et 99, 4 Athenis dithyrambo vicisse[5]) Stesichorumque quendam alterum[6]) ol. 102, 3 primum prae-

[1]) Alii tamen aut lenius iudicium fecerunt aut adeo mutationes factas comprobaverunt, velut Aristoteles (Metaph. X. 3, Poet. 2), Hermesianax poeta (Athen. XIII 598 c), Antiphanes comicus (Athen. XIIII 643 d e), cf. Gevaert l. c. II 480 sq., Bergk l. c. II 529 sq.

[2]) Nihil nisi theatrorum plausum expetere poetae musicique studebant, cf. Plato Legg. III 700 sq., Aristox. apud Plut. de mus. 15 et 27, Aristot. Polit. VIII 6 (1341).

[3]) cf. p. 15. nescimus, num Aristoteles in opere, cui διδασκαλίαι inscripsit, dithyramborum quoque poetas respexerit; cf. Meineke Hist. crit. com. Gr. p. 5, Kayser Hist. crit. trag. p. XI, Rose Arist. pseudepigr. p. 551 sq. de agonibus Dionysiacis Dicaearchus librum scripsit (Schol. Ar. Av. 1403, Phot. s. v. σκόλιον). ac facile e titulis choragicis tabulisque in tabulariis adservatis chororum lyricorum victoriae componi potuerunt; cf. Koehler Mitth. d. d. arch. Inst. III 111.

[4]) VIII 352 b: Πολυίδου δὲ σεμνυνομένου ὡς ἐνίκησε Τιμόθεον ὁ μαθητὴς αὐτοῦ Φιλωτᾶς θαυμάζειν ἔφη εἰ ἀγνοεῖ, ὅτι αὐτὸς μὲν ψηφίσματα ποιεῖ, Τιμόθεος δὲ νόμους.

[5]) Varias de huius poetae nomine coniecturas proposuerunt homines docti; cf. Boeckh CIG II p. 322, Flach. chron. Par. p. 31., quae omnes ad inritum cadunt, cum novis eius tituli apographis haec in lapide scripta fuisse demonstretur l. 81. ep. 68: ΑΦΟΥ spatium litterarum 8—9 Σ (secuntur duae litterae oblitteratae) ΥΜΒΡΙΑΝΟΣ διθυράμβῳ ἐνίκησεν Ἀθήνησιν ἔτη Η..., ita ut virum illum Selymbrianum fuisse pro certo adfirmari possit. de nomine autem eius nihil omnino constat; neque enim litteram Ξ, quam Chandlerus sibi detexisse visus est (Ξ . ΛΟΣ .... ΜΕ ... ΡΙΑΝΟΣ), ex effigie chartacea elici posse monuit Dopp l. c.

[6]) l. 85 ep. 73 ἀφ' οὗ Στησίχορος ὁ Ἱμεραῖος ὁ δεύτερος ἐνίκησεν

mium reportasse compertum habemus. maiorem poetarum musicorumque numerum e titulis choragicis cognoscimus, de quibus paulo accuratius agam necesse videtur. ac de ipso choragiae instituto eiusque mutationibus cum alio loco dicere in animo sit, pauca hic exponere satis habeo[1]). nam titulos, qui huc referendi sunt, tantum tractabo, quatenus ad historiam agonum musicorum conscribendam pertinent.

Titulos choragicos igitur eos vocamus, qui monumentis inscripti erant a chorago quodam in victoriae ab eo reportatae memoriam dedicatis. quorum duo genera distinguere debemus, publica et privata. cum autem tituli qui dicuntur privati variis monumentis dedicatoriis inscripti varias exhibeant formas, tituli, qui ad tripodas tribui victrici praemiis datos publiceque a chorago dedicatos pertinent, certis quibusdam legibus compositi sunt. et cum nusquam in aliis quoque festorum dierum certaminibus tripodas publice dedicatos esse compertum habeamus[2]), ad sola Dionysia et Thargelia omnes publicas dedicationes choragicas iure nostro referre licet. certamina chororum Dionysiis et Thargeliis instituta prorsus eodem modo

---

'Αθήνησιν. nulla prorsus causa est, cur Flachium (Griech. Lyr. p. 317) sequamur, qui hoc nomen fictum esse arbitratur propterea, quod hoc uno loco commemoratur; cf. Dopp, l. c. p. 38, Bergk l. c. II 287 adn. 46.

[1]) cf. Böckh Staatshaush. I 600 sq., Köhler Mitth. d. d. arch. Inst. III 229 sq., Thumser de civium Atheniensium muneribus p. 83 sq., Dittenberger Syll. ad tit. 410—419. prorsus nullius pretii est Rosenkranzii dissertatio: De choregia (Rostockii 1873). multa recte exposuit Bergk l. c. II, 502 sq., III 73 sq., sed veris falsa haud pauca immiscuit. choragiae institutum saeculo quarto exeunte abolitum esse post acutam Koehleri disputationem nunc constat. sed multae adhuc restant quaestiones solvendae. sic, ut unam tangam, prorsus falso choragiae scaenicae lyricaeque ab omnibus fere, qui de hac re scripserunt, commiscentur. quas satis diversas fuisse argumentis quibusdam probari mihi posse videtur.

[2]) Victoriae Panathenaicae in censum venire nequeunt: quamquam factum est, ut privatim nonnumquam aliquis monumentum quoddam Minervae dedicaret, cf. p. 23. Prometheis et Hephaestiis choros lyricos ad certamina prodiisse (Bergk l. c. II 502 adn. 11) demonstrari nequit. nihil enim colligi potest e loco (Xenophontis) de rep. Athen. III 4: πρὸς δὲ τούτοις χορηγοῖς διαδικάσαι εἰς Διονύσια καὶ Θαργήλια καὶ Παναθήναια καὶ Προμήθεια καὶ Ἡφαίστεια ὅσα ἔτη. et quamquam in titulo CIA II 553 (Dittenberger Syll. 420) decernitur: ἀναγράψαι δὲ καὶ εἴ τις ἄλλος νενίκηκεν ἀπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος παισὶν ἢ ἀνδράσιν Διονύσια ἢ Θαργήλια ἢ Προμήθια ἢ Ἡφαίστια, tamen in indice subiecto nulla omnino Prometheorum vel Hephaestiorum fit mentio; cf. Boeckh Staatsh. I 615 et ad CIG 213, A. Mommsen l. c. p. 311 adn.

celebrata esse videntur[1]) (cf. Foucart Rev. de phil. I. 179 sq.); utrisque enim praeerat primus archon, in utrisque virorum et puerorum chori certabant[2]), in utrisque tripus praemio dabatur[3]), qui monumento publice impositus titulo adiecto deo dedicabatur. sed dedicationes, quae ad Thargelia spectabant, in Pythio, eae, quae Dionysiacorum certaminum causa vovebantur, in Dionysi sanctuario poni solebant[4]); unde Athenienses facile intellexerunt, quibus in sollemnibus victoriae illae reportatae essent. hodie autem, cum de multis titulis quo loco inventi sint nesciamus multosque lapides post tot annorum decursum in alia loca transportatos esse constet, difficile est definire, ad quae sollemnia unusquisque spectet titulus. in scholio ad Demosth. Leptin. 465, 27, quo res satis confuse ex-

---

[1]) Oblivisci autem non debemus certamina musica Dionysiis multo maiore splendore celebrata esse, cum eodem tempore splendidissima certamina scaenica agerentur atque undique convenirent spectatores. et chorum virorum in Dionysiis IↃↃ drachmis in Thargeliis MM drachmis constitisse Lysias testatur XXI 1 sq. de numero chororum, qui in utrisque sollemnibus prodibant, parum constat; cf. A. Mommsen l. c. p. 395. Bergk l. c. II 501 adn.

[2]) Quod testatur titulus antea citatus (CIA II 553), cui index choragorum victorum additus est his verbis praescriptis: Διονύσια | ἀνδράσι παισί et: Θαργήλια | ἀνδράσι παισί. certamina musica Thargeliis iam antiquitus acta esse id quod iam antea dixi veri simile est; saeculi quinti parte altera ea in usu fuisse testatur Antiphontis oratio VI 11 sq. Θαργηλίων ὁ ἀγὼν commemoratur in lege Euegori (Dem. XXI 10) et CIA II 800 a, v. 199; cf. A. Mommsen l. c. p. 423 sq.

[3]) Dem. XLII 22, Isaeus V 41, Plato Gorg. 472 A, Ath. II 37 f., Plut. Arist. 1, vit. X orat. 835 B., Nic. 3, Suidas s. v. Πύθιον, Harpocrat. s. v. κατατομή (Philochorus fr. 138 M.) schol. Aesch. Timarch. 10, Simonid. epigr. 145. 147. 148.

[4]) Suidas s. v. Πύθιον: ἱερὸν Ἀπόλλωνος Ἀθήνησιν ὑπὸ Πεισιστράτου γεγονός, εἰς ὃ τοὺς τρίποδας ἐτίθησαν οἱ τῷ κυκλίῳ χορῷ νικήσαντες τὰ Θαργήλια, cf. adn. 3 et Boeckh CIG I p. 342, O. Müller Kunstarchäol. Werke I 50, 67, Wieseler Delphischer Dreifuss p. 86, Bergk l. c. II 505. choragiarum mentio saepissime fit apud oratores, quorum locos huc spectantes omnes enumerare omitto, paucos tantum hic adscribo. is, pro quo Antiphontis oratio VI scripta est, chorum puerorum Thargeliis adornaverat; qui se oratione Lysiaca XXI defendit, duos choros virorum, alterum Dionysiis, alterum Thargeliis et chorum quendam puerorum instruxerat praeter alias choragias, quas enumeravit §. 1—5. celebris est in primis Demosthenis choragia, quam a. 350 praestitit Dionysiis (cf. Hartel Demosthen. Studien I 27 sq.). in oratione contra Midiam habita §. 62. 64. 147 aliorum quoque virorum choragiae commemorantur. Andocides puerorum chorum Dionysiis adornavit (Plut.) vit. X orat. 835 B, collato CIA II 553. Plato quoque puerorum chorum instruxit Plut. Dio 17, Arist. 1; cf. etiam CIA II 553, Xen. Comm. III 4, 4.

plicantur, legimus haec: καὶ ἐξηγήσαντό τινες, ὅτι τοῖς Θαργηλίοις δυοῖν φυλαῖν εἷς μόνος καθίστατο χορηγός, τοῖς δὲ μεγάλοις Διονυσίοις Ἀνθεστηριῶνος μηνός, πλείονος αὐτῷ γιγνομένης τῆς δαπάνης, εἷς χορηγὸς ἑκάστης φυλῆς καθίστατο. unde colligendum esse putabant homines docti (cf. Foucart l. c.) binas semper tribus coniunctas unum chorum praebuisse Thargeliis, singulas tribus Dionysiis in certamen descendisse. et re vera ex Antiphonte VI, 11 choragum quendam saeculo quinto exeunte duarum tribuum coniunctarum chorum instruxisse Thargeliis compertum habemus: et in tribus quoque in Pythii regione ad Ilissum repertis titulis binae semper coniunctae sunt tribus. sed etiam in titulo ad radices meridionales arcis invento (Mitth. d. d. arch. Inst. II 189) duae tribus coniunguntur idemque valet de titulis CIG 216 et 220, qui quo loco inventi sint, ignoratur. nihil igitur certi inde concludi potest; hoc autem statuere licet, quod adhuc homines doctos fugit, binas tribus coniunctas nusquam inveniri nisi in puerorum choris[1]). quando autem et quibus de causis binas vel singulas tribus puerorum choros praebuisse statuendum sit, fortasse novi tituli inventi olim demonstrabunt. qui dum praesto non sunt, ingenue fateri debemus nos dedicationes, quae ad Dionysia quaeque ad Thargelia spectant, distinguere non posse. sed fortasse hic quoque diversis temporibus diversa instituta valebant.

Verum antequam ipsos titulos choragicos proponam, pauca de singulis eorum partibus praemittenda videntur: de variis formulis in eis usurpatis infra dicturus. etenim solet in his titulis commemorari tribus victrix (vel tribus victrices) addito certaminis genere (ἀνδρῶν, παίδων[2]); praeterea semper commemoratur choragus, qui tribui certanti adscriptus est, et χοροδιδάσκαλος, quibus saeculo quarto additur tibicinis nomen; denique nomen archontis addi solet. neque vero casu una vel altera res additur aut omittitur neque ordo mutatus casui tribui potest; immo eodem modo, quo in actis senatus populique Atheniensium e formulis mutatis nos

---

[1]) Virorum autem choros a singulis tribubus eodem modo, quo Dionysiis, Thargeliis quoque instructos esse veri simile fit e titulo CIA II 553 quo Nicias quidam a Pandionide tribu laudatur: ὅτι εὖ καὶ προθύμως ἐχορήγησεν τοῖς παισὶ καὶ ἐνίκα Διονύσια καὶ Θαργήλια ἀνδράσιν, et ex choragi verbis apud Lysiam XXI 1 sq.

[2]) Etiam eos titulos choragicos, in quibus certaminis genus ita designatum non est, ad choros lyricos pertinere pro certo adfirmari potest, cum in choragiis scaenicis numquam tribus commemoretur; cf. CIA II 971, Plut. Them. 5.

de actorum aetate coniecturas facere posse viri docti demonstraverunt (cf. Hartel Studien üb. attisches Staatsrecht u. Urkundenw. p. 3 sq.), etiam in titulis choragicis certis temporibus certas formulas usitatas fuisse demonstrari potest. ac minoris quidem momenti est in titulis ante Euclidis annum exaratis numquam addi archontis nomen, quod inde a saeculo quarto omitti non solet; neque in eo, quod in aliis titulis choragus, in aliis tribus vicisse dicitur, certum aetatis discrimen, ut Koehler (Mitth. d. d. arch. Inst. III 231) putabat, positum esse docuit Dittenberger (Syllog. 411 adn. 2). sed gravissimum aetatis indicium e tibicinis nomine addito et ex ordine, quo chorodidascali tibicinisque nomina ponuntur, capere possumus, id quod neminem adhuc accuratius exposuisse miror. saeculo enim quinto semper solus chorodidascalus nominatur, quarto tibicinis nomen semper fere additur idque ita, ut priore saeculi quarti parte nomen chorodidascali, altera tibicinis nomen priore loco poni soleat. quae optime conveniunt cum eis, quae de artium musicarum historia comperta habemus. antiquioribus enim temporibus idem homines et carmina lyrica et modos composuerunt, id quod non de Laso tantum et Pindaro, sed etiam de Melanippide Timotheo Teleste valet. atque scaenicos quoque poetas usque ad belli Peloponnesiaci aetatem ipsos carminum melicorum modos composuisse ipsosque choros docuisse scimus (cf. Helbig Quaest. scaenic. p. 5). Euripides autem primus chorum aliis docendum commisisse et ad musicos modos carminibus aptandos aliorum auxilio usus esse videtur (Bergk l. c. III 486). quam maxima enim saeculo quinto ars musica ceperat incrementa, iam artos transgressa artis antiquioris fines novis perfectioribusque instrumentis adhibitis. atque in primis ars tibiis canendi magis magisque exculta, cum antea arti poeticae quasi subiecta esset, in primarium locum ascendere coepit, quamvis diu et acriter a poetis quibusdam impugnata esset[1]). cuius rei gravissimum extat testimonium in Plutarchi libro de musica c. 30: ἀλλὰ γὰρ καὶ αὐλητικὴ ἀπὸ ἁπλουστέρας εἰς ποικιλωτέραν μετα-

[1]) Iam Pratinae temporibus tibiarum cantum primas in choricis carminibus partes sibi arripere poetae, qui pristino mori addicti erant, questi sunt; cf. Pratinae fr. 1 B et Ath. XIIII 617 b Πρατίνας δὲ ὁ Φλιάσιος . . . ἀγανακτεῖν τινας ἐπὶ τῷ τοὺς αὐλητὰς μὴ συναυλεῖν τοῖς χοροῖς, καθάπερ ἦν πάτριον, ἀλλὰ τοὺς χοροὺς συνᾄδειν τοῖς αὐληταῖς. iam cum modi musici primarium locum obtinuissent, consentaneum erat non modo eos, qui modos illos artificiosos composuerant, sed illos quoque, qui eos tibiis cantabant, maiorem auctoritatem nanctos esse.

βέβηκε μουσικήν· τὸ γὰρ παλαιὸν ἕως εἰς Μελανιππίδην, τὸν τῶν διθυράμβων ποιητήν, συμβεβήκει τοὺς αὐλητὰς παρὰ τῶν ποιητῶν λαμβάνειν τοὺς μισθοὺς πρωταγωνιστούσης δηλονότι τῆς ποιήσεως, ὕστερον δὲ καὶ τοῦτο διεφθάρη. itaque usque ad Melanippidis aetatem tibicines quasi addicti erant poetis, neque igitur nominibus eorum locus erat in titulis choragicis[1]); tum vero paullatim mutatio illa facta est. atque ut saeculo quinto poetae tragici sibi optimum quemque histrionem devinciebant, sic Philoxenum dithyramborum poetam saeculo quinto exeunte sibi Antigenidam tibicinem adiunxisse scimus[2]). quartum deinde saeculum ea fuit aetas, qua tibicines praeclarissimi floruerunt: Antigenidas Dorio Telephanes Timotheus Euius Ismenias Caphisias alii.

Eodem autem modo, quo medio saeculo quarto in commissionibus tragicis praeter novas fabulas antiquiorum poetarum fabula quaedam in scaenam committebatur, chori quoque lyrici non novis semper carminibus modisque musicis certabant, sed antiquiorum quoque poetarum dithyrambos repetebant. ita Lucianus (Harm. 1) Harmonidem de Timothei Thebani prima victoria, quam is medio saeculo quarto reportavit, haec dicentem facit: ὥσπερ ὅτε καὶ σύ, ὦ Τιμόθεε, τὸ πρῶτον ἐλθὼν οἴκοθεν ἐκ Βοιωτίας ὑπηύλησας τῇ Πανδιονίδι καὶ ἐνίκησας ἐν τῷ Αἴαντι τῷ ἐμμανεῖ, τοῦ ὁ μ ω ν ύ μ ο υ σοι π ο ι ή σ α ν τ ο ς τ ὰ μ έ λ ο ς, οὐδεὶς ἦν, ὃς ἠγνόει τοὔνομα Τιμοθέου ἐκ Θηβῶν. veteribus autem carminibus tibicen fortasse nonnumquam novos modos accinere aut veteres ex arbitrio suo amplificare poterat. quae cum ita essent, chori magistros auctoritate tibicinibus cessisse consentaneum erat; cum enim tibicen primum obtineret locum neque eius nomen cuiquam esset ignotum, διδάσκαλος, quo nomine iam non poeta, sed magister chori significabatur, pro ministro tantum choragi habebatur. Demosthenes, qui anno 350 choragi munere functus erat, in oratione, quam in Midiam habuit, magistrum chori nominare operae pretium non habuit; tibicinem autem Telephanem honorifice commemoravit et collaudavit, quod magistro a Midia corrupto ipse chorum docere non abnuisset (§. 17).

---

[1]) Hanc quoque legem exceptione non carere nemo mirabitur. sic in epigrammate Pseudo-Simonideo 148 saeculo quinto monumento choragico inscripto commemoratur Ἀρίστων Ἀργεῖος ἡδὺ πνεῦμα χέων καθαροῖς ἐν αὐλοῖς; hic igitur modos, Antigenes sola carminis verba composuerat.

[2]) Suid. Ἀντιγενίδης Σατύρου, Θηβαῖος μουσικός, αὐλῳδὸς Φιλοξένου, ubi pro voce αὐλῳδὸς nomen αὐλητὴς reponendum esse Dinse demonstravit (De Antigenida Thebano musico Berol. 1856, p. 39).

atque ut Antiphontis temporibus choragi poetas sortiebantur[1]), sic Demosthenis aetate ii, qui chorum ornaturi erant, sortiebantur tibicines[2]). id quod optime titulis choragicis illustratur, in quibus Antiphontis temporibus διδασκάλου solius nomen adscriptum est, Demosthenis autem aetate tibicen ante magistrum commemoratur. qui mos posteriore quoque tempore semper valebat.

Ut igitur hae ceteraeque formularum mutationes clariores fiant singulis titulis schema, quod dicunt, litteris expressum additurus sum. in quo

littera *A*	significatur	formula	ὁ δεῖνα ἦρχε
B	—	—	ἡ δεῖνα φυλὴ ἐνίκα
b	—	—	...... τῇ δεῖνι φυλῇ....
C	—	—	ὁ δεῖνα χορηγῶν ἐνίκα
c	—	—	ὁ δεῖνα ἐχορήγει
D	—	—	ὁ δεῖνα ἐδίδασκε
E	—	—	ὁ δεῖνα ηὔλει.

littera π adscripta litteris *B* et *b* significatur chorum puerorum (παίδων), littera α chorum virorum (ἀνδρῶν) fuisse (B_α, B_π, b_α, b_π); numero 2 suprascripto litterae *b* (b^2) significatur chorum a binis tribubus coniunctis instructum esse; littera β adscripta litteris *C*, *c*, *D*, *E* patris nomen hominum eorum nominibus additum ($C_\beta D_\beta E_\beta$), littera γ patriae nota addita ($C_\gamma D_\gamma E_\gamma$) litteris $\beta+\gamma$ utrumque additum significatur ($C_{\beta+\gamma}$ $D_{\beta+\gamma}$ $E_{\beta+\gamma}$).

Titulos igitur choragicos eo ordine exhibebo, ut primi ponantur tituli, quos ante Euclidis annum scriptos esse litterarum formis docemur (I—III), hos excipiant ceteri, qui propter archontis nomen adpositum certis annis adsignari possunt. deinde de titulis fragmentisque nonnullis incertae aetatis dicturus sum: denique titulos qui privatis monumentis subscripti erant, adiciam.

[1]) Antiph. VI. 11: καὶ ἔλαχον Παντακλέα διδάσκαλον (ubi de puerorum choro verba fiunt cf. § 12 sq.) cf. Bergk l. c. II 503 sq. adn. 19 et 20, qui recte Cinesiae verba (Arist. Av. v. 1404): ὃς ταῖς φυλαῖς περιμάχητός εἰμ' ἀεί huc rettulit.

[2]) Dem. XXI 13: παρούσης δὲ τῆς ἐκκλησίας, ἐν ᾗ τὸν ἄρχοντα ἐπικληροῦν ὁ νόμος τοῖς χοροῖς τοὺς αὐλητὰς κελεύει.... κληρουμένων πρῶτος αἱρεῖσθαι τὸν αὐλητὴν ἔλαχον. ad musicum quendam ignotum referenda esse, quae homo quidam in Amphidis Dithyrambi fr. 14 (II p. 239 Kock) dicit: φυλὴν περιμένω σφόδρα φιλονεικοῦσαν λαχεῖν τιν' vidit Bergk l. c.

I. ed. Boeckh CIG 212[1]), Kirchhoff CIA I 336.

Οἰνεῖϲ | ἐνίκα | παίδον |
Εὐρυμένε(ϲ) | Μελετεõνοϲ | ἐχορέγε |
Νικόϲτρατοϲ | ἐδίδαϲκε.

$B_{\pi} c_{\beta} D$

II. ed. Boeckh CIG 1037, Kirchhoff CIA I 337, Dittenberger Syll. 410.

....οϲ Δοροθέο Ἀλαιεὺ[ϲ ἐχορέγε]
Πανταλκε͂ϲ ἐδίδα(ϲκε). [2])

$\ldots c_{\beta+\gamma} D$.

III[3]) ed. Koehler Mitth. d. d. arch. Inst. VIII (1883) 34.

Κλειϲθένηϲ ἐχορέγε Αὐτοκράτοϲ
Ἐρεχθηΐδι Αἰγηΐδι[4]),
Κεδείδηϲ[5]) ἐδίδαϲκε.

$c_{\beta} b^{2} D$.

---

[1]) De titulis choragicis praeter eos, quos antea enumeravi, dixit etiam K. Keil Mél. gréco-rom. Petersb. II (1859) 65 sq. titulorum praecipuas tantum editiones enumeravi, ubi de lapidum singulorum fatis accuratiora inveniri possunt.

[2]) Duarum aliarum quoque choragiarum, quibus Pantacles interfuit, testimonia extare Kirchhoff monuit. quorum unum est apud Steph. Byzant. s. v. Ἀτήνη. Πατροκλῆς Ἀτηνεὺς ἐχορήγει· καὶ Παντακλῆς. qui titulus manifesto corruptus sine dubio eiusdem generis fuit atque I. et II. ([ἐδίδασκε] Παντακλῆς coniecit Bergk l. c. II 503 adn. 17, (Ἀντιοχὶς) ἐνίκα Παντακλῆς [ἐδίδασκε] Meineke Hist. crit. com. Gr. p. 6). alteram Pantaclis didascaliam testatur Antiph. VI 11: ἐπειδὴ χορηγὸς κατεστάθην εἰς Θαργήλια καὶ ἔλαχον Παντακλέα διδάσκαλον; cf. Harpocr. s. v. διδάσκαλος.

[3]) Medii belli Peloponnesiaci aetati titulum adsignat Koehler.

[4]) Quam maxime dolendum est, quod genus chori hic nominatum non est. nullum adhuc titulum repertum esse, in quo duae tribus coniunctae essent, nisi in puerorum choris iam antea monui. ceterum quamquam de victoria reportata in hoc titulo nihil dicitur, dubitari nequit, quin re vera Clisthenes choragus et Erechtheis Aegeisque tribus primum rettulerint praemium. noluit autem illa aetate choragus sibi ipsi adscribere chori victoriam (cf. Koehler Mitth. d. d. arch. Inst. III 231), binas vero tribus in uno eodemque certamine victrices praedicare a Graecorum mente abhoruisse acute monuit Dittenberger (ad Syll. 411).

[5]) Κηκείδης quidam nominatur ab Aristophane Nub. 984 (cf. scholia), ubi Κηδείδης scribendum esse iam Nauck coniecit. coll. Hesych. s. v. Κηθείδης. quem cum hoc Cedide componendum esse Koehler probabiliter statuit; iam cum ille apud Aristophanem antiquus dicatur poeta ideoque eum ante 450 a. Chr. vixisse pateat, Κηδείδης, qui hic nominatur, pro nepote illius e Koehleri sententia habendus est.

IIII. Plut. Arist. 1 (CIG 211, Le Bas Att. 459)[1].

'Αντιοχὶς ἐνίκα,
'Αριστείδης ἐχορήγε,
'Αρχέστρατος ἐδίδασκε.

BcD.

V. ed. Rangabé Ant. hell. 972, Pittakis Ephem. arch. fasc. 42 (a. 1856) n. 2792 (Le Bas Att. 464), cf. Keil l. c. p. 68[2]).

.....ο[3]) Περιθοίδης χορηγῶν ἐνίκα
...ίδι[4]) ἀνδρῶν, Φιλόφρων Φιλοκράτος [ἐδίδασκεν,
Οἰ]νιάδης[5]) Προνόμο ηὔλε, Διετρέφης ἦρχεν.

$C_{\beta+\gamma} b_\alpha D_\beta E_\beta A$. ol. 99, 1 (384 a. Chr.)

VI. ed. Boeckh CIG 223 (Le Bas Att. 469)[6]).

---

[1]) Tripodem, cui hic titulus inscriptus erat, ἐν Διονύσου extitisse testatur Plutarchus l. c.; Aristidem choragum non summum illum virum, Themistoclis aemulum, sed alium quendam eiusdem nominis fuisse Panaetius (περὶ τοῦ τρίποδος) demonstravit, cuius argumenta Plutarchus l. c. rettulit: ἀπὸ γὰρ τῶν Μηδικῶν εἰς τὴν τελευτὴν τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου δύο μόνους χορηγοὺς ἀναγράφεσθαι νικῶντας, ὧν οὐδέτερον εἶναι τῷ Λυσιμάχου τὸν αὐτόν, ἀλλὰ τὸν μὲν Ξενοφίλου πατρός (Simonides fr. 147 B), τὸν δὲ χρόνῳ πολλῷ νεώτερον, ὡς ἐλέγχει τὰ γράμματα τῆς μετ' Εὐκλείδην ὄντα γραμματικῆς καὶ προσγεγραμμένος ὁ 'Αρχέστρατος, ὃν ἐν τοῖς Μηδικοῖς οὐδείς, ἐν δὲ τοῖς Πελοποννησιακοῖς συχνοὶ χορῶν διδάσκαλον ἀναγράφουσι. titulus igitur hoc loco inserendus est. secundam tertiamque tituli lineam se „ad lapidem inter columnas" vidisse et descripsisse narrat Cyriacus Anconitanus; cui num hac in re fides haberi possit iure dubitabimus.

[2]) Tertia tituli linea minus accurate iam antea edita erat CIG 215 (Le Bas 461): Πρόνομος ηὔλει Διοτρέφης...

[3]) Patris igitur nomen non defuit.

[4]) Cum Περιθοῖδαι tribus Oeneidis pagus sint, Οἰνηῖδι supplendum esse putant. neque vero res tam confidenter potest decerni; nam si respicimus morem fuisse, ut, ubicumque singulae tribus singulos choros praestarent, ipsae tribus, ubi binae coniunctae essent, choragi victores scriberentur, (cf. autem XV, XVI) — id quod Dittenberger l. c. monuit — duas tribus hoc quoque in titulo nominatas esse suspicari possumus. alia vero ex parte nullum adest testimonium, quo chorum virorum a binis tribubus coniunctis instructum esse demonstrari possit. ipso lapide inspecto fortasse licebit e versuum longitudine de linea 2 supplenda coniecturam facere.

[5]) Recte Rangabé Οἰνιάδης nomen supplevit tibicinemque pro Pronomi tibicinis praeclarissimi filio habuit, cuius patri nomen Οἰνιάδης fuisse demonstrat Anth. Pal. XVI 28.

[6]) Titulum dubitanter hoc loco inserui propter versuum dispositionem CBDEA, quae huic soli aetati convenire videtur. Cephisodorus enim unus ol. 103, 3, alter 114, 2 archon fuit; olympiadi 114, 2 Boeckh titulum adscripsit.

Λυσικλῆς Βιόττου Ὀῆθεν ἐχορήγει,
Οἰνηῒς φυλὴ[1]) παίδων ἐνίκα,
Πάμφιλος Ἁγνούσιος ἐδίδασκεν,.. .. .. ..
Κηφισόδωρος ἦρχεν.

$c_{\beta+\gamma} B_\pi D_\gamma [E] A$. ol. 103, 3 (366/5 a. Chr.) (?).

VII. ed. Kumanudis Ἀθηναίου I 169 n. 2, Dittenberger Syll. 411. cum tituli VII. VIII. VIIII. ad dextram Ilissi ripam reperti sint, tria quibus inscripti erant monumenta, Apollini Pythio dedicata, ad Thargelia spectasse certum est.

Αἴσιος Μνησιβούλο Σφήττιος
χορηγῶν ἐνίκα Ἀκαμαντίδι[2])
Πανδιονίδι παίδων[3]), Εὐκλῆς
ἐδίδασκε, Εὐδαμίσκος ηὔλε,
Χίων ἦρχεν.

$C_{\beta+\gamma} b^2_\pi D E A$. ol. 103, 4 (365/4 a. Chr.).

VIII. ed. Kumanudis Ἀθηναίου I 170 n. 3, Dittenberger Syll. 412.

---

[1]) In titulo vasis cuiusdam Nolani, qui propter litterae Σ formam ante ol. 86 scriptus videtur, legimus: Ἀκαμαντὶς ἐνίκα φυλή (cf. Boeckh opusc. IV 395. Jahn Vasensammlung d. K. Ludwig p. CXXIV); antiquum igitur morem imitatus esse videtur, qui verbum φυλὴ addidit; cf. autem tit. XIIII.

[2]) Ubicumque binae tribus coniunctae sunt, priore loco semper ea nominatur, cuius ipse choragus fuit (cf. Kumanudis l. c.).

[3]) Singulos choragos pro binis tribubus coniunctis choragiae munus subiisse, quod opes familiares post bellum Peloponnesiacum magno opere imminutae essent, homines docti coniecerunt. neque vero video, quo modo tali ratione singulorum impensa minora facta sint. sed si respexerimus modo singularum modo binarum tribuum choros commemorari, potius ea de causa binas tribus coniunctas esse suspicabimur, quod haud facile quotannis in unaquaque tribu quinquaginta pueri idonei inveniri poterant. accedit, quod iam Antiphontis aetate binae tribus in puerorum choris coniungi solebant; cf. Antiph. VI 11 sq.; quod Dittenberger ad Syll. 413 adn. 2. coniecit, legis praecepto, quae tribus coniunctae singulos choros praeberent, constitutum fuisse, ita ut altera cum quarta, tertia cum quinta, septima cum nona, octava cum decima, prima cum sexta coniungerentur, acutius quam verius excogitatum est. nam eodem modo, quo saeculo quinto primam et septimam (Antiph. VI 11), primam et alteram (tit. III) coniunctas esse videmus, quarto quoque saeculo tertiam primae (CIG 216), primam octavae (CIG 220) adiectas invenimus. nisi igitur quis certum ordinem per breve quoddam temporis spatium aut ad Thargelia sola celebranda valuisse conicere mavult, casu explicandum esse videtur, quod in titulis VII. VIIII. XI. eaedem tribus coniunctae sunt. ac variae profecto cogitari possunt causae, cur certae quaedam tribus consociatae sint.

῾Ιερώνυμος Λάχητος ῾Εκαλῆθεν
χορηγῶν ἐνίκα Λεωντίδι Αἰγηΐδι
παίδων, Εὐκλῆς ἐδίδασκε [1]),

Τιμοκράτης ἦρχεν.

$C_{\beta+\gamma} b^2_{\pi} D..A.$ ol. 104, 1 (364/3 a. Chr.).

VIIII. ed. Kumanudis Ἀθηναίου I 169 n. 1, Dittenberger Syll. 413 [2]).

Φιλόμηλος Φιλιππίδο [3])
Παιανιεὺς χορηγῶν
ἐνίκα Πανδιονίδι
Ἀκαμαντίδι παίδων,
5 Ἀλέξιππος ηὔλει,
6 Εὐκλῆς ἐδίδασκε.
$C_{\beta+\gamma} b^2_{\pi} ED.$

Φιλόμηλος Φιλιππίδο
Παιανιεὺς χορηγῶν
ἐνίκα Πανδιονίδι
Ἀκαμαντίδι παίδων,
Εὐκλῆς ἐδίδασκε,
Ἀλέξιππος ηὔλει.
$C_{\beta+\gamma} b^2_{\pi} DE.$

X. ed. K. Keil Mélanges Gréco-Romains Petersbg. II (1859) p. 81; Ross Archäol. Aufs. II 479 n. 7. lapis Hypatae repertus quin Athenis oriundus sit dubitari nequit.

---

[1]) Cum inter versus 3 et 4 lacuna extet, qua ceteri tituli persimiles carent, Kumanudis l. c. p. 172 recte coniecit eos, qui titulum lapidi insculpendum curaverunt, hoc loco tibicinis nomen inserturos fuisse, postea autem oblitos esse. ita in titulo VIIII. verba Εὐκλῆς ἐδίδασκε eadem quidem aetate, sed alia manu addita esse idem monuit p. 170.

[2]) Ut tituli VII. et VIII. aversis lapidum partibus repetiti sunt, titulus VIIII. quoque in aversa lapidis parte iterum scriptus est mutato versuum 5. et 6. ordine. animadvertas velim ea aetate, qua exaratus est hic titulus, tibicines ante magistros scribi coeptos esse. propter Euclis magistri nomen et propter litteram O pro OY positam (vs. 1.) non multis annis eum recentiorem esse titulis VII. et VIII. patet. cum eaedem tribus, quae in tit. VII. nominantur, hic inverso ordine scriptae sint, Kumanudis utrumque titulum ad eandem victoriam referendum esse suspicatus est, ita ut duarum tribuum coniunctarum duos quoque choragos in certamen descendisse putaret. quam sententiam optimo iure reiecerunt Thumser l. c. p. 87 adn. 4 et Dittenberger ad Syll. 413 adn. 2. ad quorum argumenta gravissimum accedit hoc, quod non in uno lapide Alexippus, in altero Eudamiscus tibicen vicisse dici potuit in eodem certamine, cum sine dubio unus solus modos musicos composuisset aut tibiis cantasset (cf. Wieseler Satyrspiel p. 45); nihil enim ad rem faciat, si eum ab aliis adiutum esse concedamus.

[3]) De Philomelo eiusque patre egit Koehler Herm. V 347. in titulo CIA II 553 (Dittenberger Syll. 420) inter Pandionidis tribus victorias haec Philomeli victoria non recensetur.

Οἰνηΐ(?)]ς παίδων [ἐνίκα,
Ἀπολλόδωρος Πασί[ωνος Ἀχαρνεὺς[1])
ἐχορήγει, Λυσιάδ[ης Ἀθηναῖος ἐδίδασκεν, (?)[2])
Ἀριστόδημος ἦρ[χεν.

$B_\pi\, c_{\beta+\gamma}\, D_{(\gamma)}$ (?) A. ol. 107, 1 (352/1 a. Chr.).

XI. ed. Koehler Mitth. d. d. arch. Inst. II (1877) 189. Dittenberger Syll. 414. haec basis ad meridionales arcis Atheniensis radices inventa est.

Χ]άρης Θεοχάρους Ἀγγελῆθεν[3]) χορηγῶν ἐ[νίκα
Π]ανδιονίδι Ἀκαμαντίδι παί[δων,
Σ]άτυρος Σικυώνιος ηὔλει,
Ἐ]πίκουρος Σικυώνιος ἐδίδασ[κεν,
Λυκίσκος ἦρ[χεν[4]).

$C_{\beta+\gamma}\, b^2_\pi\, E_\gamma\, D_\gamma\, A$. ol. 109, 1 (344/3 a. Chr.).

XII. ed. Boeckh CIG 221 (Franz Elem. epigr. Gr. 64, Le Bas Att. 467, Dittenberger Syll. 415). titulum, qui monumento choragico notissimo inscriptus est, ad Dionysia spectare patet.

Λυσικράτης Λυσιθείδου Κικυννεὺς ἐχορήγει,
Ἀκαμαντὶς παίδων ἐνίκα, Θέων[5]) ηὔλει,
Λυσιάδης Ἀθηναῖος ἐδίδασκε, Εὐαίνετος ἦρχε.

$c_{\beta+\gamma}\, B_\pi\, E\, D_\gamma\, A$. ol. 111, 2 (335/4 a. Chr.).

---

[1]) Apollodorum, Pasionis filium, qui saepe in Demosthenis orationibus nominatur, hic intellegendum esse homines docti probabiliter coniecerunt. qui cum Acharnensis dicatur in documento orationi Demosth. XXXXV 46 inserto, v. 1 Oeneidis nomen suppleverunt; sed de fide documenti illius dubitari potest.

[2]) Cum in titulo XII. haec legantur: Λυσιάδης Ἀθηναῖος ἐδίδασκε, hic quoque Λυσιάδης Ἀθηναῖος ἐδίδασκε scribendum esse editores dixerunt. at cum tibicinis nomen medio saeculo quarto iam non soleat omitti, Lysiadem a. 352/1 et tibicinis et magistri munere functum esse statuere debemus, id quod nonnumquam factum esse Telephanis tibicinis demonstrat exemplum, qui a. 350 a. Chr., ut Demostheni gratificaretur, chorum etiam docuit (Dem. XXI 17). eodem igitur iure verbum ηὔλει in v. 3 supplendum esse suspicari possumus; mente enim nobis fingere possumus Lysiadem aetate provectum publice tibiis cantare desiisse magistrique tantum munere functum esse.

[3]) Atheniensium ducem notissimum hic commemorari Koehler agnovit.

[4]) Le Bas Att. 465 fragmentum exhibet hoc:

..ώνιος ηὔλει Ναύπλιος ἐδιδ...
Λυκίσκος ἦρχε,

quod pro corrupto tituli XI. apographo facile aliquis habeat; sed Koehler l. c. p. 188 titulum XI. anno 1877 »nuper« demum repertum esse dicit.

[5]) Θέων Θηβαῖος tibicen commemoratur in titulo CIG 225 anno 271/70 scripto, quem eundem esse ac Theonem tituli XII. haud recte dixit

XIII. ed. Boeckh CIG 222 (Franz Elem. epigr. Gr. 65, Le Bas Att. 468, Dittenberger Syll. 416; cf. Rangabé Ant. hell. 975).

Αἰγηῒς ἀνδρῶν ἐνίκα, Εὐαγίδης Κτησίου Φιλαΐδης ἐχορήγει,
Λυσιμαχίδης Ἐπιδάμνιος ηὔλει, Χαρίλαος Λοκρὸς ἐδίδασκε,
Εὐθύκριτος ἦρχε.

$B_a c_{\beta+\gamma} E_\gamma D_\gamma A$. ol. 113, 1 (328/7 a. Chr.).

XIIII. ed. Boeckh CIG 224 (Franz Elem. epigr. Gr. 67, Le Bas Att. 471, Dittenberger Syll. 423). titulus cum monumento choragico ad radices meridionalis Athenarum arcis posito incisus sit, quin ad Dionysia spectet dubitari nequit[1]).

Θράσυλλος Θρασύλλου Δεκελεεὺς ἀνέθηκεν
χορηγῶν νικήσας ἀνδράσιν Ἱπποθωντίδι φυλῇ :
Εὔιος Χαλκιδεὺς[2]) ηὔλει, Νέαιχμος ἦρχεν : Καρκίδαμος
Σώτιος ἐδίδασκεν.

$(C_{\beta+\gamma}) (b_a) E_\gamma A D_\beta$. ol. 115, 1 (320/19 a. Chr.).

XV. ed. Beulé L'acropole d'Athènes I 102 (C. F. Hermann Philol. VIII 576, Le Bas Att. 470), Rangabé Ant. hell. 986. quorum apographa ita dissentiunt in linearum dispositione, ut, quae re vera in lapide scripta extiterint, diiudicari nequeat; cf. Keil l. c. p. 76. titulum, quamquam multa insunt, quae potius ad monumentum privatum spectare videantur, hoc loco insero, cum eadem de eo valere putem, quae ad titulum XIIII. eiusdem anni adnotavi[3]).

Dinse l. c. p. 45, cum potius huius nepos esse posset. Theonem quendam tibicinem mortuum ab Hedylo laudibus elatum esse memoriae tradit Ath. IIII 176 c.

[1]) Suo iure Dittenberger monet aetate illa publicas et privatas dedicationes in titulis minus accurate distinctas esse videri, cum in hoc titulo, quem ad tripoda publice dedicatum spectare monumenti forma ac locus demonstret, multa, quae in monumentis privatis commemorari solent, inveniantur. id quod primum valet de formula dedicatoria (ἀνέθηκεν νικήσας), deinde de dativo ἀνδράσιν, cum in ceteris titulis similibus genetivus ἀνδρῶν adhibeatur, tum de archontis nomine loco inusitato posito. accedit denique, quod chorago, qui unius tribus chorum ornavit, nusquam ipsi victoria tribui solet (Dittenberger ad Syll. 423); cf. quae dixi de titulis V. et XV.

[2]) Tibicen illius aetatis praeclarissimus; cf. Plut. Eum. 2, Ath. XII 538 f, Poll. IV 79.

[3]) Hic quoque invenitur formula dedicatoria: νικήσας ἀνέθηκεν, quae in monumentis privatis adhiberi solet, hic choragus, qui, quamquam unius tantum tribus chorum instruxit, sibi victoriam adrogat, in primis autem offendit vox ᾆσμα, quae quo referenda sit, dubitare debemus; nam aut ante Sicyonii nomen verbum ἐδίδασκε supplendum est, ita ut scribamus ἐδίδασκεν ὁ δεῖνα

a. (Beulé)

'Αριστ]οδήμου Ξυπεται|ὼν ἀνέθηκεν νικήσας χορηγῶ|
ν Κεκροπίδι παίδων, [ἐδίδασκ|ε Π]ανταλέων Σικυώνιος ηὔλε|
ι αἶσμα 'Ελπήνωρ Τιμοθέου, Νέ|αιχμος ἦρχε.

b. (Rangabé)

ητου Ξυπετ||αιὼν ἀνέθηκεν νικήσας χορηγῶν Κεκροπίδι παίδων
ΑΣΑΞΩΝ Σικυών|| ..ηὔλει αἶσμα 'Ελπήνωρ Τιμοθέου, Ν[έαι]χμος ἦρχεν.
ol. 115, 1 (320/19 a. Chr.).

His igitur titulis certa quaedam aetatis indicia nancti sumus. iam cum de singulis rebus in adnotationibus ad singulos titulos dixerim, restat, ut ex temporum ordine iterum omnes quas invenimus formulas componam:

I.	Ante annum 403 a. Chr.	$B_\pi c_\beta D$.
II.	— — —	$[B] c_{\beta+\gamma} D$.
III.	— — —	$c_\beta b^2 D$.
IIII.	cc. 400 a. Chr.	$B c D$.
V.	384/3 a. Chr.	$C_{\beta+\gamma} b_\alpha D_\beta E_\beta A$.
VI.	366/5 (?) a. Chr. [1]	$c_{\beta+\gamma} B_\pi D_\gamma [E] A$.
VII.	365/4 a. Chr.	$C_{\beta+\gamma} b^2{}_\pi D E A$.
VIII.	364/3 a. Chr.	$C_{\beta+\gamma} b^2{}_\pi D [E] A$.
VIIII.	ante annum 350 a. Chr.	$C_{\beta+\gamma} b^2{}_\pi E D$.
	— —	$C_{\beta+\gamma} b^2{}_\pi D E$.
X.	352/1 a. Chr.	$B_\pi c_{\beta(+\gamma)} (E = D) A$.
XI.	344/3 a. Chr.	$C_{\beta+\gamma} b^2{}_\pi E_\gamma D_\gamma A$.
XII.	335/4 a. Chr.	$c_{\beta+\gamma} B_\pi E D_\gamma A$.
XIII.	328/7 a. Chr.	$B_\alpha c_{\beta+\gamma} E_\gamma D_\gamma A$.
XIIII.	320/19 a. Chr.	$C_{\beta+\gamma} b_\alpha E_\gamma A D_\beta$.

Archontis igitur nomen saeculo quinto nusquam, saeculo quarto titulo VIIII. excepto semper additum est, tibicinis nomen inde ab

---

Σικυώνιος — ηὔλει ᾆσμα 'Ελπήνωρ Τιμοθέου, aut post vocem ηὔλει interpungendum est, ut ᾆσμα ad magistrum referatur, quod utrumque difficultatibus impeditum est. si vero apographis fidem habere liceat, priorem explicationem praeferam, ita ut ηὔλει ᾆσμα idem significet ac: „modos tibiis cantavit“, et nominum ordo sit hic: $(C_{\beta+\gamma}) b_\pi D_\gamma E_\beta A$. Elpenor filius esse potest Timothei tibicinis (Luc. Harm. 2 sq.).

[1]) Si Boeckhium secuti Cephisodorum archontem anni 323/2 putamus, titulus inter XIII. et XIIII. inserendus est. cui aetati titulo XII. collato choragus ante tribum nominatus convenire videtur. sed huic rei minus tribuendum esse puto quam ei, quod tibicinis nomen post magistrum inscriptum est, quae res, ut titulum annis 390—350 adscribamus, suadere videtur.

initio saeculi quarti semper inscribitur, ita ut parte saeculi priore post (V.—VIIII.), parte altera ante (VIIII.—XIIII.) magistri nomen commemoretur; medio saeculo ordo fluctuabat (VIIII.). choragus, qui saeculo quarto semper patris pagique nominibus additis designatur, primo loco commemoratur, ubi duae tribus coniunctae nominantur, secundo loco saeculo quinto semper, quarto saepe eius nomen ponitur, ubi una tribus victrix celebratur. patris aut patriae commemoratio in tibicinum magistrorumque nominibus quarto saeculo mox addita, mox omissa est, certis legibus non observatis; neque vero Athenienses putare licet omnes, in quibus patria non significatur, cf. V 3, VI 3, XII 3 (X 3). de aliis rebus in adnotationibus dixi.

Iam pauca de aliis nonnullis titulis choragicis additurus sum, de quorum aetate definienda aut lacunis supplendis nonnulla rectius statuisse mihi videor. ac primum de duobus titulis agam, in quibus archontum nomina leguntur, quae manifesto ex eorum, qui lapides descripserunt, errore profecta esse demonstravit Koehler (Mitth. d. d. arch. Inst. III 239 sq.). horum priorem edidit Boeckh CIG I 226 *b* (I p. 909) et paulo plenius[1]) Pittakis Anc. Ath. p. 183 (Rangabé Ant. hell. 973, Le Bas 474, cf. Keil l. c. p. 70).

(. . ιc ἐνίκα)
Πυθόδωρος Ἐπιζήλο ἐχορήγε[2]),
Ἀρίσταρχος ἐδίδασκε, Χαρίας ἦρχε.

is igitur titulus cum propter choragi mentionem nullo modo saeculo quarto recentior esse possit, Charias autem archon illa aetate non commemoretur, errorem subesse in ultima linea patet, monuitque Koehler propter litteram O pro OY positam titulum priori saeculi quarti parti adscribendum esse; sed cum Koehler nomen Χαρίας corruptum esse putet, leniorem medelam mihi proponere videor, ut pro ἦρχε scribatur ηὖλε; pro HYΛE enim, cum litterae evanescere coepissent, qui non accurate lapidem inspexit, HPXE legere potuit; E pro EI scriptum optime convenit tituli aetati; formula autem, quae est $(B) c_{\beta} D E.$, medium quoddam tenet inter titulos saeculi quinti exeuntis ($c_{\beta} b^{2} D$ in tit. III, $B c D$ in tit. IIII)

---

[1]) In Pittakis exemplo, quod Rangabé expressit, duabus lineis, quas Boeckh CIG 226 *b* edidit, praemittuntur verba: Ἀρετῆς ἕνεκα, quae Koehler l. c. a Pittaki ex arbitrio addita esse putat. sed recte Rangabeum et Keilium in his verbis scripturae genuinae: ἡ δεῖνα φυλὴ (Αἰγηΐς?) ἐνίκα vestigia subesse statuisse puto.

[2]) Ἐπιζήλο ἐχορήγει Pittakis. Ἐπιξήλο ἐχορήγε CIG 226 *b*.

et ineuntis quarti ($C_{\beta+\gamma}\, b_\alpha\, D_\beta\, E_\beta\, A$ in tit. V), ita ut Pythodori victoriam annis 400—385 adscribere non dubitem[1]).

In altero titulo qui inest error expediri nequit. haec enim in lapide extitisse dicunt (Pittakis l'anc. Athènes p. 91, cf. Rangabé Ant. hell. 976, Le Bas Att. 474, Keil l. c. p. 76):

ΛΤΡΕΥΣ[2]) ἐχορήγει
ἀνδρῶν ἐνίκα
ἐδίδασκεν Λύκος Θηβαῖος ηὔλε
'Αρίσταρχος ἦρχεν.

Aristarchi nomen a Pittaki ex arbitrio suppletum esse certissimis argumentis Koehler l. c. demonstravit: ac temerarium esset de genuino, quod hic scriptum fuerit, nomine coniecturas facere. propter dispositionem autem tituli ($c_{(\beta+)\gamma}\, B_\alpha\, D\, E_\gamma\, A$) priori saeculi quarti parti eum adsignare licet. eidem aetati propter diphthongos ου et ει per Ο et Ε scriptos adsignandus est titulus CIG 216 (Le Bas Att. 463):

Ερυ]ξίας[3]) Ερυξιμάχο
Κυδαθηναιεὺς ἐχορήγε
Πανδιονίδι 'Ερεχθηΐδι παίδων[4]).

ubi notandum est choragum duarum tribuum non victorem praedicari, eodem modo quo in tit. III. scriptum est: Κλεισθένης ἐχορήγει Αὐτοκράτους 'Ερεχθηΐδι Αἰγηΐδι. duae tribus coniunctae in fragmento quoque aetatis incertae leguntur, quod Boeckh edidit CIG 220 (Le Bas Att. 490):

ΣΦ[5])
ς Εὐφιλήτο(υ)
'Ερ]εχθηΐδι 'Ιπ[ποθωντίδι[6])
Θηβαῖος ηὔ[λει.

Propter chori magistri nomen tibicinis nomini praemissum priori saeculi quarti parti tribuendum puto etiam titulum, quem Boeckh e Fourmonti schedis edidit CIG 218 (Le Bas Att. 489):

---

[1]) Animadvertas velim pagum in choragi nomine non esse significatum.

[2]) Λαμπτρεὺς supplevit Rangabé; tum in vs. 2. Erechtheidis nomen supplendum est.

[3]) Eryxiae nomen Boeckh restituit. quod nomen cum desit in Pandionidis choragorum indice CIA II 553, titulus a Boeckhio intra annos ol. 104—106 ponitur.

[4]) Tertia et prima tribus coniunctae sunt. tertiae choragus fuit; haec igitur priore ponitur loco.

[5]) Quid sibi velint litterae ΣΦ, non expedio.

[6]) Prima igitur et octava tribus coniunctae sunt.

Ἱπποθωντ]ὶς ἀνδρῶν: ἐνίκα,
.λου Πειραιεὺς [ἐχορήγει,
...Σκ]αρφικὸς (?) [1]) ἐδίδα[σκ]ε,
ς Σικυώνι[ος ηὔλει].

Vetustiorem titulorum choragicorum formam exhibuisse videtur fragmentum, quod ediderunt Pittakis Ephem. arch. fasc. 36 (1853) n. 1844, Rangabé l. c. 2355 (Le Bas Att. 483):

τος Φαληρεὺς [2]) ἐχορήγει,
Κινησίας ἐδίδασκεν.

Cinesias [3]) num idem sit, qui saepe numero a poetis comicis commemoratur (cf. Meineke Hist. crit. com. I 227), nisi litterarum formis accurate examinatis non poterit diiudicari. vixit ille Cinesias haud paucos annos post Euclidis annum, quod decretum CIA II 8 ab eo a. ol. 96, 3 (394/3 a. Chr.) propositum demonstrat. inepte alium titulum suppleverunt Pittakis Ephem. arch. (1853) n. 1840 et Rangabé 2352:

ΡΟΙ . ΣΠΑΙΑ
ΕΣΙΠΠΟΣΧΑΒΡΙΟΥ
ΕΧΟΡΗΓΕΙ,

ubi nullo modo in linea prima ρο...ς Παιανιεὺς scribere licet, cum choragus l. 2 et 3 nominetur. rectius titulum iam antea ediderat Wordsworth (Athens and Attica [1844] p. 577), qui haec exhibuit:

ΡΟΠΙΣΠΑΙΔ	Κεκ]ροπὶς παίδ[ων ἐνίκα
ΣΙΠΠΟΣΧΑΒΡΙΟΥ	Κτή]σιππος Χαβρίου...
ΡΗΓΕΙΔΑ	ἐχο]ρήγει...

quae lectio eo confirmatur, quod Ctesippus Chabriae filius, qui sine dubio praetoris praeclarissimi filius est [4]), Aexonensis est [5]); Αἰξωνὴ autem pagus est tribus Cecropidis.

[1]) Σκαρφαῖος scripsit Boeckh.

[2]) Cum Φάληρον pagus Aeantidis sit, in prima linea scriptum fuisse statuendum est: Αἰαντὶς ἀνδρῶν (s. παίδων) ἐνίκα.

[3]) Cinesiam quendam minorem natu hic intellegendum esse putavit Bergk Hist. litt. Gr. II 544 adn. 74. Aristotelem quoque duos Cinesias poetas dithyramborum nominasse ex scholio ad Ar. Av. 173 sq. perquam obscuro non potest colligi; cf. Meineke l. c. I 227, Rose Aristot. pseudepigr. p. 558.

[4]) Colligi nequit inde legem Leptineam abolitam non esse Dionemque Chrysostomum (XXXI 128) falsum esse; cf. Westermann, Zschr. f. Alterthumsw. (1844) p. 577, Schäfer Demosthenes u. seine Zeit I 373; cf. etiam Thumser l. c. p. 143.

[5]) CIA II 804 vs. 73: τριήραρ: Κτήσιππος (Χ)αβρίου Αἰξωνεύς.

Titulus, quem Pittakis (Anc. Ath. p. 445) edidit, (unde eum expressit Rangabé l. c. 970):

ΟΙ
Θεόδωρος Μελιτεὺς ἐδίδασκεν
Λυσικλῆς ηὔλει
Ἱπποθοοντίς

inepte fictus est sine dubio e fragmento, quod postea ille edidit Ephem. arch. 1842 et 3380 (Rangabé Ant. hell. 2353, Le Bas 462):

ΟΙ
ΩΡΟΣ ΜΕΝ [1])
ΙΚΛΗΣΗΥ
ΙΠΠ

in versu extremo nullo modo tribus nomen locum habet, cum nusquam in titulis choragicis talem linearum dispositionem inveniamus; immo litterae ΙΠΠ reliquiae videntur nominis magistri aut archontis (Ἄρχιππος? archon a. 321 et 318). titulus fortasse hoc modo constitutus erat:

Κεκρ]οπ[ὶς ἐνίκα ...,
Θεόδ]ωρος Μεν[... ....ἐχορήγει,
Λυσ?]ικλῆς ηὔ[λει, ὁ δεῖνα
[...ἐδίδασκε, ὁ δεῖνα ἦρχε].

sed possunt etiam alia excogitari.

Item falso suppletus est a Rangabeo titulus Thebis repertus, quem ediderunt Pittakis Ephem. arch. 1845, Rangabé l. c. 2358, Le Bas Att. 480:

Λεοντὶς παί[δων ἐνίκα,
Τιμογένης Ἀθ[μονεὺς ἐχορήγει,
Μοιραγένης Ὀπού[ντιος ἐδίδασκε.

v. 2 Rangabei supplementum nullo modo stare potest; neque enim usquam in saeculi quarti titulis choragicis choragus pagi nomine addito designatur patris nomine omisso [2]) neque choragum

---

[1]) Pittakis Ephem. arch. n. 1842 exhibuit ΜΕΛ; sed n. 3380 cum a. 1858 iterum titulum exhibuit, ΜΕΝ scripsit, quae lectio verior habenda esse videtur.

[2]) Aliter res se habet in victorum Dionysiacorum catalogo CIA II 971, ubi etiam in fr. *e* choragis anni 331/0 annorumque antecedentium patris nomen additum non fuisse patet. servatus enim videtur esse vetustior mos, ne singulae catalogi partes inter se nimis discreparent. nam fragmenta *a b*, quamquam ea quoque demum saeculo quarto lapidi insculpta sunt, tamen sine dubio ex actis publicis multo antiquioribus transcripta sunt.

Athmonensem chorum Leontidis tribus exornasse statuere licet; Ἄθμονον enim non Leontidis pagus est, sed Cecropidis. immo *vv*. 2. et 3. nomina chori magistri et tibicinis [1]), patriae nomine addito, nescio quo ordine scripta erant, choragi [2]) autem nomen initio tituli positum erat ita, ut hanc eius tituli formam fuisse colligas $c_{\beta+\gamma}\ B_{\pi} D_{\gamma} E_{\gamma}$ (aut $c B_{\pi} E D$).

In similem errorem nescio quo casu incidisse videtur Koehler, cum Mitth. d. d. arch. Inst. III 250 tituli fragmentum

ΜΑΝΤΙΣΠ/
ΔΕΙΝΩΝΑΙΓΙ
ΚΛΕΑΡΙΤΟΣΛ

hoc modo supplevit:

Ἀκα]μαντὶς πα[ίδων ἐνίκα,
Δείνων Αἰγι[λιεὺς ἐχορήγει,
Κλεάριτος [.... ἐδίδασκε.

neque enim choragus solo pagi nomine addito designari potuit, neque Αἰγιλιὰ pagus Acamantidis est, sed ad tribum Antiochida pertinet. *vv*. 2. et 3. igitur tibicen et chori magister scripti erant, choragi autem aut, quod mihi verius videtur, agonothetae nomen ante tribum victricem commemoratum erat.

Sed iam satis de his titulis dictum esse puto. nam omnia titulorum choragicorum fragmenta congerere ab instituto meo alienum est[3]). restat igitur, ut pauca addam de titulis monumentis privatis incisis. quos cum varias exhibere formas consentaneum sit, patet nihil in universum de eis statui posse. quare iam singulos proponam et quae

---

[1]) Veri simile enim non videtur litteras Ἀθ ad nominis cuiusdam proprii primam syllabam referendas esse, ita ut Timogenes choragus habendus sit, qui patris pagique nominibus additis designetur.

[2]) Aut agonothetae, quae res litterarum formis solis potest decerni; trium enim linearum dispositionem optime in titulum agonotheticum quadrare infra videbimus. titulus Ephem. arch. 1846 (Rangabé 2356, Le Bas 487), quem hoc modo suppleverunt:

ας Φιλίνου Λακ[ιάδης ἐχορήγει,
Ἐρεχθηΐς ἀνδ[ρῶν ἐνίκα·

non ad choragiam, sed ad agonothesiam referendus est; Λακιάδαι enim non Erechtheidis, sed Oeneidis pagus est; de tituli forma cf. quae infra disputabo.

[3]) Nonnullos titulos hic summatim recenseo, qui fere omnes ita mutilati sunt, ut nihil inde possimus lucrari: CIG 227 (Le Bas 491), Le Bas Att. 480. 482. 482 bis. 484—486, Eph. arch. 1841. 2296 (?). 3037. 3380, Eph. arch. ser. II 120. 176 (?), Bull. de corr. hellen. II 416 n. 4, Philol. XXIIII 541.

memoratu digna videntur adnotabo [1]. primus igitur propter antiquissimas litterarum formas ponendus esse videtur titulus CIA I 421, qui, cum prope fontem Callirhoen haud procul ab Ilisso repertus sit, ad Thargelia spectare videtur:

Καλλ|ι...[νικήσας ἀνέθηκεν [2])
χορεγ[ῶν...
Κεκρο[πίδι...
Νικο...... [3])

neque vero an is titulus publico monumento insculptus fuerit, extra omnem dubitationem positum est. collatis enim titulis III. et V. (p. 31 sq.) is, de quo agitur, hoc quoque modo potest suppleri:

Καλλ..[.. τοῦ δεῖνος
χορηγ[ῶν ἐνίκα
Κεκρο[πίδι Αἰαντίδι [4])
Νικο[... ἐδίδασκε.

ita ut iam eam, quae in monumentis publicis usitata est, formam habeamus.

Sine dubio autem privatus habendus est titulus CIA I 422 (Dittenberger Syll. 22):

Ἀριστοκράτης | Σκελίο· | ἀνέθηκεν | νικήσας | Κεκροπίδ[ι.... [5]) | ἐν ἑορτ[ῆ... [6])] .ι...

---

[1]) Hic commemorari debent etiam epigrammata illa, quae inter Simonidis reliquias 147. 148. recepta sunt, et epigramma, quod inter Anacreontis reliquias extat CVI. quo autem referendum sit epigramma Theocriteum XII: Δημομέλης ὁ χορηγός, ὁ τὸν τρίποδ', ὦ Διόνυσε, | καὶ σὲ τὸν ἥδιστον θεῶν μακάρων ἀναθείς, | μέτριος ἦν ἐν πᾶσι· χορῷ δ'ἐκτήσατο νίκην | ἀνδρῶν καὶ τὸ καλὸν καὶ τὸ προσῆκον ὁρῶν, equidem nescio.

[2]) Ita enim supplendum est, si titulus ad monumentum privatum spectat.

[3]) v. 2 certaminis genus designatum fuisse videtur, v. 3 fortasse altera tribus nominata erat, v. 4 artificis nomen insculptum fuisse Kirchhoff suspicatur: at chori quoque magister hoc loco potuit commemorari.

[4]) Aut alius tribus nomen; additum erat fortasse παίδων, quod nonnumquam omissum esse demonstratur titulo III.

[5]) Utrum post Κεκροπίδ(ι) secutum sit alius cuiusdam tribus nomen an vox χορηγῶν aut φυλῇ, decerni nequit.

[6]) Supplendum est Ἀπόλλωνος aut Διονύσου. Kirchhoff attulit locum Platonis Gorg. 472 A: Ἀριστοκράτης ὁ Σκελίου, οὗ αὖ ἔστιν ἐν Πυθίου (emendavit Kirchhoff e librorum scriptura Πυθοῖ) τοῦτο τὸ καλὸν ἀνάθημα. num autem is titulus Aristocratis monumento illi inscriptus fuerit, quam maxime dubitari posse monet Dittenberger, cum columna illa, cui inscriptus est, inventa sit prope porticum Ἀθηνᾶς ἀρχηγέτιδος.

qui propter H ad litteram η designandam adhibitum post ol. 83, propter Aristocratis, qui ol. 93, 3 occisus est, commemorationem ante a. 406 lapidi insculptus sit necesse est (cf. Schütz Hist. alph. Att. p. 49). initio saeculi quarti tribuendus est titulus, quem post Pittakin (Anc. Ath. p. 113, Rangabé 981, Le Bas Att. 479) accuratius edidit Koehler Herm. II 23. quem etsi ad eas res, quas nunc tracto, non pertinere persuasum mihi est, hoc loco insero, ne quid omisisse videar:

Μνησίστρατος Μίσγωνος,	Μνησίμαχος Μνησιστράτο[1]),
Διοπείθης Διοδώρο ἐχορήγον,	Θεότιμος Διοτίμο ἐχορήγον,
Δικαιογένης ἐδίδασκεν.	Ἀρίφρων ἐδίδασκεν,
	Πολυχάρης Κώμωνος ἐ(δί)δασκεν.

spectat is titulus sine dubio ad choragias scaenicas; synchoragiae[2]) enim instituto in lyricis quoque certaminibus usos esse Athenienses nullo loco, quantum quidem ego sciam, edocemur; in scaenicis autem commissionibus inde ab anno ol. 93, 3 hunc morem valuisse demonstratur schol. ad. Arist. Ran. 406: ἐπὶ γοῦν τοῦ Καλλίου τούτου φησὶν Ἀριστοτέλης, ὅτι σύνδυο ἔδοξε χορηγεῖν τὰ Διονύσια τοῖς τραγῳδοῖς καὶ κωμῳδοῖς, cf. Boeckh Staatsh. I 598, II add. p. VI. neque in titulo ad certamina lyrica spectante tribus nomen potuit omitti, cum magistri chori nominarentur; at in titulis scaenicis nulla tribuum mentione facta choragum solum et διδάσκαλον commemoratos esse victorum Dionysiacorum indice CIA II 971 demonstrari videtur, cf. Plut. Them. 5. Dicaeogenes igitur est notissimus tragoediarum poeta, quem initio saeculi quarti floruisse colligunt e schol. Arist. Eccl. 1 [3]). Ariphronem Bergk (l. c. II 543 adn. 72 et 74) Sicyonium illum esse suspicatur, cuius paeanis fragmenta extant apud Ath. XV 702 b.

Huic titulo alium addo, quem Boeckh CIG 219 e Fourmonti schedis edidit (Le Bas Att. 501):

---

[1]) Μνησίστρατος Μνησιμάχου Ἀχ(αρνεὺς) in titulo dedicatorio (Sauppe Gött. Nachr. 1865 p. 253) alteri saeculi quarti parti adscribendo legitur; ac fuit is fortasse filius huius Mnesimachi.

[2]) Synchoragia vox de binis quidem choragis ad unum chorum ornandum coniunctis adhiberi potest, non autem de binis tribubus in uno choro praestando consociatis, id quod saepissime homines doctos neglexisse et confudisse video.

[3]) Welcker Griech. Tragoed. III 1045, Kayser Hist. crit. trag. Gr. p. 251 sq.

...ΟΣΚΡΑΠΟΙΝΙ (?) νικήσας ἀνέθηκ[ε
χορίωι καὶ κωμωιδοῖς, Χάρης Θηβαῖος
ηὔλει, Σπευσεάδης Ἀθηναῖος [ἐδίδασκε].

de quo manifesto corrupto certum iudicium proferri nequit. Boeckh quidem omnia sana putavit, lineis 1. et 2. hoc modo emendatis et suppletis:

Χορηγῶν νικήσας ἀνέθηκε
[κυκλίῳ]χορῷ καὶ κωμῳδοῖς... .

at neque tibicinis nomen in comoediarum commissionibus dignum erat [1]) quod commemoraretur, neque eundem hominem chorum cyclium et comoediam docuisse veri simile est, neque tibicinem ad chorum cyclium, magistrum ad comoedos referre licet, cum eorum nomina in lapide artissime coniuncta sint. quae cum ita sint, in verbis χορίωι καὶ κωμωιδοῖς errorem Fourmontii subesse puto, qui quo modo expediendus sit, coniectura adsequi velle temerarium videtur [2]). alius quoque titulus, quem edidit Koehler Mitth. d. d. arch. Inst. III 229 (Dittenberger Syll. 422), ad quaenam spectet certamina certe diiudicari nequit:

[Τιμο]σθένης Μειξωνίδο
Μειξωνίδης Τιμοσθένος
Κλεόστρατος Τιμοσθένος
[χ]ορηγοῦντες νικήσαντες ἀνέθεσα[ν]
[τ]ῶι Διονύσωι τἄγαλμα καὶ τὸμ[βωμόν].

---

[1]) An de tibicine cogitandum est, qui in singulis comoediae novae intervallis, quae intervalla olim in comoedia antiqua chori canticis explebantur, spectatores cantu suo delectasse videtur? cf. Plaut. Pseud. 551: Tibicen vos interea hic delectaverit (cf. Donat. arg. Andr.). neque vero audeo ad vocem χορῷ explicandam adhibere titulos Delphicos apud Wescherum et Foucartium Inscr. de Delph. 3.—6., in quibus post comoedos enumerantur αὐλητής, διδάσκαλος, septem χορευταὶ κωμικοί; cf. Lüders l. c. p. 118.

[2]) Pauca de ceteris, qui ad certamina scaenica spectant, titulis hic adnotare volo. fragmentum CIG 228 ...'Ραμνούσιος.. κωμωιδοῖς ad choragiam comicam pertinuisse manifestum est. synchoragiam quarti saeculi parte priore in comoediarum certaminibus nondum abolitam fuisse testatur epigramma (Kaibel 925), quod lapide denuo inspecto Koehler Mitth. d. d. arch. Inst. III 348 accuratius edidit. neque igitur recte scholiasta Aristoph. Ran. 406 dixit: χρόνῳ δὲ ὕστερον (post ol. 93, 3) οὐ πολλῷ τινι καὶ καθάπαξ περιεῖλε Κινησίας τὰς χορηγίας, cf. CIA II 971 d. ad choragiam comicam referenda videntur ea, quae Aristoteles Pol. VIII 6 narravit, cf. p. 15 adn. 3. titulum choragicum, qui ad certamina tragica spectat, Plut. Them. 5 rettulit: Θεμιστοκλῆς Φρεάρριος ἐχορήγει, Φρύνιχος ἐδίδασκεν, Ἀδείμαντος ἦρχεν (a. 478/7 a. Chr.).

is titulus, qui propter scripturae rationem priori quarti a. Chr. saeculi parti adscribendus est, non ad unam solam victoriam spectare videtur, sed monumento cuidam inscriptus fuisse, quod pater filiique communiter dedicaverunt post plures variasque choragias Dionysiacas [1]).

Reliquus est titulus choragicus, quem post multos alios accuratissime G. Hirschfeld edidit Archäol. Zeit. XXX 23 (Dittenberger Syll. 421):

. . . . [2])
ἀνέθηκε Κλείδημος Μείδωνος Πλωθεύς,
Ἐρεχθηῒς ἀνδρῶν ἐνίκα,
Μενετέλης Μένητος Ἀναγυράσιος ἐχορήγε,
Ἄρατος Ἀργῆιος ηὔλ[ε,
Νικόμαχος ἐποίησε.

merito homines docti non ipsum choragum, sed alium quendam hoc monumentum dedicasse dici mirati sunt. Dittenberger igitur Clidemum διδάσκαλον fuisse suspicatus est, victoriae laudem non minus fere huius quam choragi esse statuens. at διδάσκαλον saeculo quarto non tanti aestimatum esse antea dixi. et quamquam non nego fieri potuisse, ut διδάσκαλος, si idem poeta et dives quidam civis Atticus esset, suis impensis monumentum choragicum privatim extrueret, tamen in primis eo offendor, quod is, qui donarium dedicat, non se vicisse dicit eo tempore, quo tribus Erechtheis certavit, sed sententiis nullo vinculo conexis post: ἀνέθηκε . . . Πλωθεὺς secuntur verba: Ἐρεχθηῒς ἐνίκα. quae cum ita sint, Keil mihi non inepte coniecisse videtur vv. 1 et 2 a monumento choragico plane seiungendos esse. quae suspicio eo confirmatur, quod Koehlerum quoque medias tres lineas ceteris antiquiores iudicare Michaelis testis est (Arch. Zeit. XXXI 13 adn. 102). vv. autem Ἐρεχθηῒς-ἐνίκα, Μενετέλης . . ἐχορήγει, Ἄρατος . . . ηὔλ(ε) bene conveniunt cum usitatis monumentorum publice dedicatorum formis ($B_a\ c_{\beta+\gamma}\ E$..), cf. tit. X.

---

[1]) Similis generis fuisse videtur titulus, qui est CIG 237, (Rangabé Ant. hell. n. 985 II p. 704):

Αἰνίας Ξάνθιππος Ξανθίδης νικήσαντες ἀνέθεσαν.

[2]) Litterarum reliquias, quas in lapide Hirschfeld detexit, Dittenberger hoc modo supplendas esse suspicatus est: ἐπὶ Ἀριστοκράτους ἄρχοντος (399/8): neque vero ipse coniecturam suam pro certa habet.

Haec igitur sunt, quae de choricis Atheniensium certaminibus titulisque choragicis exponenda mihi esse videbantur [1]. extremis autem saeculi quarti annis choragiae institutum abolitum est choragorumque in locum agonothetae qui dicuntur successerunt. neque dubitare licet, quin eodem tempore multae aliae etiam res immutatae sint in certaminum celebratione, sed accuratius de eis nusquam edocemur. certe splendor ille certaminum musicorum, qui in primis saeculi quinti parte altera summus fuit [2], post bellum Peloponnesiacum magis magisque obscuratus est [3]; unde pauca tantum certaminum posterioris aetatis testimonia superesse patet, de quibus infra disputabo. restat, ut antequam ad ceterae Graeciae certamina tractanda transeam, paucis tangam Piraeei agonas, quippe qui ad urbanos quodam modo pertineant (Foucart Rev. de phil. I 170 sq.). si Aeliano (V. H. II 13) fides haberi potest, iam quinto saeculo certamina scaenica in Piraeeo agebantur, quae post agonas urbanos primum locum tenuisse videntur. titulo CIA II 573 (Dittenberger Syll. 297) pactum nobis servatum est, quo medio saeculo

---

[1]) Ad victoriam a virorum choro reportatam spectat etiam epigramma antiquum, quod vario modo restituere conati sunt Kirchhoff CIA I 403, Kaibel Epigr. e lap. coll. 928, postremus Wilamowitz (Kydathen p. 226), cuius supplementa hic adpono:

> [τόνδε με φῦλον 'Ερεχθῆος νικῶν χο]ρῷ ἀνδρῶ[ν
> ἐντὸς 'Αθηναίας τῇδ' ἀνέθηκ]εν ὅρων.
> τὴν δ' ἀρ' ἀγωνίζοντα χ]οροῖς ἔξω κατὰ φῦλ[α
> πρόφρον 'Ερεχθείδαις ἀγλαία]ι τρίποδος.

[2]) Belli Peloponnesiaci aetate certaminum numerus Athenis tantus erat, ut iam non posset augeri. illo enim tempore tragicorum quoque poetarum certamen Lenaeis agebatur (Ath. V 217; cf. Schmerl Quibus Athenis diebus festis fabulae in scaenam commissae sint p. 6) et probabiliter Koehler CIA II 972 didascalias tragicas annorum 419 et 418 a. Chr. ad Lenaea rettulit, illo histrionum certamina instituta videntur, quorum primum exemplum commemoratur a. 422 a. Chr. (cf. Rohde Mus. Rhen. XXXVIII 283, XXXVIIII 161), illo parodorum quoque agon Panathenaeis habebatur, cf. p. 22 adn. 3.

[3]) Cum iam saeculo quinto exeunte choragi ad comoedias exornandas defecissent (cf. Boeckh Staatshaush. I 606), medio saeculo quarto saepe haud facile choragus inveniebatur (cf. Demosth. XXI 13). atque adeo nonnulla certamina prorsus abolita esse colligere possumus ex eis, quae narrantur (Plut.) vit. X orat. Lyc. 10: εἰσήνεγκε δὲ (Λυκοῦργος) καὶ νόμους, τὸν μὲν περὶ τῶν κωμῳδῶν ἀγῶνα τοῖς Χύτροις ἐπιτελεῖν ἐφάμιλλον ἐν τῷ θεάτρῳ, καὶ τὸν νικήσαντα εἰς ἄστυ καταλέγεσθαι, πρότερον οὐκ ἐξόν, ἀναλαμβάνων τὸν ἀγῶνα ἐκλελοιπότα (cf. Rohde Mus. Rhen. XXXVIII 276).

quarto theatrum Piraeei quattuor hominibus privatis locatur; spectacula quoque ibi habita saepius commemorantur. posteriore aetate Lycurgus orator nobilissimus, qui de artibus musicis quam maxime meruit, cycliorum quoque chororum certamen ibi instituit; cf. (Plut.) vit. X orat. Lyc. 13: ἔτι δέ, ὡς τοῦ Ποσειδῶνος ἀγῶνα ποιεῖν ἐν Πειραιεῖ, κυκλίων χορῶν οὐκ ἔλαττον τριῶν ⟨καὶ⟩ διδόσθαι μὲν τοῖς νικῶσιν οὐκ ἔλαττον δέκα μνᾶς, τοῖς δὲ δευτέροις ὀκτώ, ἓξ δὲ τοῖς τρίτοις κριθεῖσι.

Caput III.

De certaminibus musicis, quae usque ad Alexandri aetatem apud ceteras gentes Graecas habebantur.

De agonibus musicis, qui a ceteris gentibus Graecis hac aetate celebrabantur, pauca comperta habemus. certe casu tantum factum est, si in scriptorum antiquorum libris hic illic horum certaminum mentio occurrit. titulorum autem, quibus solis multorum agonum memoria nobis servata est, exiguus tantum numerus ad tempora, quae nunc tractaturus sum, spectat. nihilominus iure nostro in omnibus fere Graeciae ipsius, insularum, Asiae minoris urbibus quinto quartoque saeculo certamina musica instituta esse sumere possumus. etenim quae maiores erant urbes aliam alia aemulabantur, oppidula oppidorum exemplum imitari studebant. atque excellebant etiam alia loca aliis artium musicarum certaminibus, quae omni modo amplificare conabantur.

Quam late artis musicae cognitio iam Persicorum bellorum temporibus patuerit, facile intellegemus, si meminerimus longae locorum seriei, quibus Pindari epinicia quae dicuntur cantata sunt[1]; omnibus enim his locis praesto erant chori cantandi artis bene periti, qui aut ex ipsis civibus aut ex hominibus a regibus vel hominibus nobilibus mercede conductis compositi erant. inde autem

[1]) cf. indicem carminum Pindaricorum Boeckhianum (edit. a Dissenio et Schneidewino curatae t. I p. CVI sq.).

non licet conicere illis locis civium choros etiam inter se de praemiis certasse. qui mos, postquam iam antea Spartae in primis et Deli carmina in deorum honorem a choris cantata sunt, Athenis praecipue excultus esse videtur et inde posteriore demum aetate in ceteras quoque urbes diffusus est [1]). verum singulorum musicorum agonas, quippe qui multo facilius possent celebrari, permultis locis actos esse videmus. solebant enim omnibus temporibus homines, qui artium musicarum laude florebant, singulas Graeciae terras pervagari, ut artem suam ostenderent aut gloriae augendae aut quaestus faciendi causa. veluti temporibus antiquioribus Anacreon Simonides Pindarus, posteriore aetate Timotheus Melanippides Philoxenus multis diversisque locis versati sunt. atque ita Timotheus, qui Mileti natus erat, Athenis victorias reportasse, Spartae in agonas descendisse, Ephesi hymno in Dianam composito praemium sibi comparavisse, apud Archelaum Macedoniae regem versatus ibique mortuus esse traditur. item saeculo quinto exeunte Execestidam quendam citharoedum Delphis Athenis Spartae in Pythiorum Panathenaeorum Carneorum sollemnibus vicisse scimus (schol. Arist. Av. 11). denique quot locis saeculi quarti parte priore commissiones musicae habitae sint, Stratonici citharistae [2]) exemplo demonstrari potest, quem Corinthi Sicyone Pellae Abderae Mileti Ephesi Mylasae Cypri Rhódi multisque aliis locis versatum esse ex eis, quae Athenaeus VIII 348 sq. congessit, comperimus.

---

[1]) Probari nequeunt, quae L. Schmidt (Pindars Leben und Dichtung p. 169. 177. 247. 256.) in Pindari epiniciis de certaminibus ad victorias athletarum celebrandas institutis sibi indagasse visus est. neque versus Pyth. VIIII 89 sqq.: Χαρίτων κελαδεννᾶν — μή με λίποι καθαρὸν φέγγος· Αἰγίνᾳ τε γάρ — φαμὶ Νίσου τ᾽ ἐν λόφῳ τρὶς δὴ πόλιν τάνδ᾽ εὐκλεΐξαι — σιγαλὸν ἀμαχανίαν ἔργῳ φυγών· ad victoriás Aeginae et Megaris a poeta reportatas referre licet; immo Bergkium Pindari verba recte interpretatum esse puto, qui carmina illa, quibus poeta se ter Aeginae et Megaris Herculis et Thebarum nomen illustrasse dicit, epinicia in homines Aeginetas et Megarenses composita fuisse statuit (PLG[4] I p. 223). de agonibus autem epiniciis institutis nusquam ullum extat vestigium. certe quod Schmidt Pindarum vv. Pyth. I 42—45, Olymp. II 86—88 aemulos et iudices certaminum respexisse putat, indignum esse videtur summo poeta (cf. Bergk Hist. litt. Gr. II 372 adn. 135).

[2]) Stratonicum de fidibus canendi arte quam maxime meritum esse testatur Phanias ὁ περιπατητικὸς ἐν δευτέρῳ περὶ ποιητῶν (Ath. VIII 352 d); et κιθαριστής etiam a Clearcho (Ath. VIII 347 f, 349 f) semper nominatur. sed in Machonis poetae versibus (Ath. VIII 348 sq.) κιθαρῳδός audit: utriusque igitur fortasse artis peritus erat; de Stratonici itineribus cf. Ath. VIII 350 e.

Iam vero ad singulos locos enumerandos transeamus, quibus certamen musicum peractum esse traditur. qua de re non omnia testimonia me collegisse bene scio. sed neque ullo pacto plenum perfectumque locorum illorum indicem proponi posse consentaneum est, neque memoriam certaminum celebriorum servatam, minus clarorum deperditam esse adfirmari potest, ut inde, quod de agonibus in tot urbibus omnino mentio non fit, loca illa omnia certaminibus musicis caruisse minime colligere liceat [1]). componenda autem in primis putabam ea testimonia, quibus diversissimis locis et diversae magnitudinis in urbibus illum certandi morem valuisse manifestum fit. ac saeculo septimo et sexto Peloponnesi urbes in artibus musicis excolendis primum locum obtinuisse supra vidimus, quem locum iam saeculo sexto exeunte Athenis cesserunt. neque tamen vetera certamina in eis abolita esse consentaneum est; veluti Timotheum Spartae, ubi duobis saeculis antea Terpander agonas instituerat, versatum esse ibique in certamina prodiisse certiores facti sumus. in decreto illo ficticio [2]), quo Spartani Timotheum notasse dicuntur, haec leguntur: ...παρακληθεὶϛ δὲ καὶ ἐν τὸν ἀγῶνα τᾶρ 'Ελευσινίαρ Δάματρος ἀπρεπῆ διεσκευάσατο τὰν τῶ μύθω διασκευάν, τὰν γὰρ Σεμέλαρ ὠδῖνα οὐκ ἐν δίκα(ι) τὼρ νέωρ (ἐ)δίδακκε, δεδόχθαι τᾷ γεροντίᾳ (?) e. q. s. quae tamen, quamquam decretum ab homine musicae artis non imperito fictum videtur, reicienda sunt: unumquodque enim verbum prodit falsarium, neque num quid veri subsit, omnino erui potest [3]). Carneis Timotheum certasse Plut. Inst. Lac. 17 narrat atque in isdem sollemnibus Execestidam citharoedum praemium rettulisse scimus (cf. schol. Arist. Av. 11). de Agesilao rege Plutarchus haec tradidit (Ages. 21, 3): τοὺϛ μὲν οἴκοι χοροὺϛ καὶ ἀγῶναϛ ἐπεκόσμει καὶ συμπαρῆν ἀεὶ φιλοτιμίαϛ καὶ

[1]) Neque denique oblivisci licet vocibus ἀγών et ἀγωνίζεσθαι inde a tertio a. Chr. saeculo saepissime non certamina propria, sed commissiones tantum musicas nullo certamine instituto publice habitas significari (cf. Foucart de coll. scaen. artif. p. 62). veterum exemplum secutus nonnumquam ipse vocabulo agonis hoc latiore sensu utor; quae res eo commendatur, quod nonnumquam accuratius definiri nequit, utrum ἀγών latiore an artiore significatione accipiendum sit.

[2]) Apud Boeth. de musica ed. Friedlein p. 182 sq.; cf. O. Müller Kunstarchäol. Werke I 164 sq., Fröhner Philol. XVIIII 309 sq., Bergk Hist. litt. Gr. II 540 adn. 58.

[3]) Nescio, ex quo fonte fluxerint Hesychii verba s. v. 'Ελευσίνια· ἀγὼν θυμελικὸς ἀγόμενος Δήμητρι παρὰ Λάκωσιν (?); sed ad decreti integritatem defendendam certe haec adhiberi nequeunt.

σπουδῆς μεστὸς ὢν καὶ οὔτε παίδων οὔτε παρθένων ἁμίλλης ἀπολειπόμενος, cf. Plut. Apophth. Lac. 208 D. et ex eodem fonte gymnopaedias saeculo quarto chororum commissionibus celebratas esse comperimus, cf. Ages. 29: (γυμνοπαιδίαι γὰρ ἦσαν ἀγωνιζομένων χορῶν ἐν τῷ θεάτρῳ) παρῆσαν δ'ἀπὸ Λεύκτρων οἱ τὴν συμφορὰν ἀπαγγέλλοντες· οἱ δ' ἔφοροι . . . οὔτε χορὸν ἐξελθεῖν εἴασαν, οὔτε τὸ σχῆμα τῆς ἑορτῆς μεταβαλεῖν τὴν πόλιν ἀλλά . . . αὐτοὶ τὰ περὶ τὴν θέαν καὶ τὸν ἀγῶνα τῶν χορῶν ἔπραττον [1]).

Corinthiacos quoque agonas musicos saeculo quarto summa auctoritate floruisse demonstrant Stratonici verba (Ath. VIII 350 b): γυμνικοὺς δὲ ἀγῶνας διατιθέτωσαν Ἠλεῖοι, Κορίνθιοι δὲ θυμελικούς, Ἀθηναῖοι δὲ σκηνικούς. atque Eucleorum in sollemnibus spectacula Corinthi acta esse fortasse colligere licet e Xenoph. Hell. IIII 4, 3, ubi ultimo horum sollemnium die ἐν θεάτρῳ nonnullos occisos esse comperimus [2]) (a. 393 a. Chr.). Sicyone citharistarum certamina habita esse ex Ath. VIII 351 f intellegimus, qui de Stratonico haec narrat: (Στρατόνικος) νικήσας δ'ἐν Σικυῶνι τοὺς ἀνταγωνιστὰς ἀνέθηκεν εἰς τὸ Ἀσκληπιεῖον τρόπαιον ἐπιγράψας· Στρατόνικος ἀπὸ τῶν κακῶς κιθαριζόντων. antiquus praeterea sine dubio erat ille μουσικῆς ἀγὼν Hermionae quotannis institutus, cuius mentionem facit Paus. II 35, 1. inde ceteras urbes ut Argos Phliunta Troezena Patras Elidem [3]) similibus institutis usas esse consentaneum est: certe Epidauri Aesculapia quinto quoque anno certaminibus musicis celebrata esse Platonici Ionis [4]) initium testatur.

---

[1]) Ignoramus, quando instituta sint certamina in Leonidae et Pausaniae honorem, quorum mentio fit apud Paus. III 14, 1: τοῦ θεάτρου δὲ ἀπαντικρὺ Παυσανίου..... μνῆμά ἐστιν, τὸ δὲ ἕτερον Λεωνίδου· καὶ λόγους κατὰ ἔτος ἕκαστον ἐπ' αὐτοῖς λέγουσι καὶ τιθέασιν ἀγῶνα, ἐν ᾧ πλὴν Σπαρτιατῶν ἄλλῳ γε οὐκ ἔστιν ἀγωνίζεσθαι· et in titulo incertae aetatis CIG 1417. — de Hyacinthiis cf. C. F. Hermann l. c. §. 53, 34 sq.

[2]) cf. Wieseler Griechisches Theater p. 172 adn. 138, Diodorus XIIII 86, 1.

[3]) De harum urbium theatris cf. Welcker Griech. Tragödien III 928 sq., Wieseler l. c. p. 198 sq., de diebus festis cf. C. F. Hermann Lehrb. der gottesdienstl. Alterthümer[2] § 51—53. Phigaliae Dionysia spectaculis scaenicis celebrata esse testatur Diodorus XV 40.

[4]) p. 530 A: μῶν καὶ ῥαψῳδῶν ἀγῶνα τιθέασι τῷ θεῷ οἱ Ἐπιδαύριοι; πάνυ γε καὶ τῆς ἄλλης γε μουσικῆς; cf. schol. Pind. Nem. III 145: τίθεται δὲ ἐν Ἐπιδαύρῳ ἀγὼν Ἀσκληπιῷ .... διὰ πεντετηρίδος ... ἄγεται δὲ μετὰ ἐννέα ἡμέρας τῶν Ἰσθμίων (cf. Bergk PLG[4] I p. 483). pulcherrimum Epidauri theatrum a Polycleto extructum esse testatur Paus. II 27, 5.

De Isthmiorum[1]) et Nemeorum[2]) celebrationibus plus uno loco certiores fimus, sed nusquam agones musici his in sollemnibus ea de qua agitur aetate commemorantur. nam quae Dio Chrysostomus VIII 277 R., VIIII 288 sq. de Isthmiis Diogenis Sinopensis temporibus celebratis narrat[3]), potius ab ipso rhetore ad exemplum aetatis suae mercatuum ficta esse quam ex antiquo fonte fluxisse videntur.

In Arcadia e vetusto more pueros cantandi artem doctos esse et in theatris tibiis accinentibus prodiisse gravissimo Polybii testimonio constat IIII 20, 8 (cf. Ath. XIIII 626 b): διότι σχεδὸν παρὰ μόνοις Ἀρκάσι πρῶτον μὲν οἱ παῖδες ἐκ νηπίων ᾄδειν ἐθίζονται κατὰ νόμον τοὺς ὕμνους καὶ παιᾶνας, οἷς ἕκαστοι κατὰ τὰ πάτρια τοὺς ἐπιχωρίους ἥρωας καὶ θεοὺς ὑμνοῦσι· μετὰ δὲ ταῦτα τοὺς Φιλοξένου καὶ Τιμοθέου νόμους μανθάνοντες πολλῇ φιλοτιμίᾳ χορεύουσι κατ' ἐνιαυτὸν τοῖς Διονυσιακοῖς αὐληταῖς ἐν τοῖς θεάτροις, οἱ μὲν παῖδες τοὺς παιδικοὺς ἀγῶνας, οἱ δὲ νεανίσκοι τοὺς τῶν ἀνδρῶν λεγομένους[4]). Megaris quoque commissiones quasdam musicas fuisse efficitur e narratiuncula illa, quae legitur apud Ath. VIII 350 e: προσποιουμένου δὲ εἶναι Φάωνος αὐλητικοῦ καὶ ἔχειν

---

[1]) Aeschylus et Ion quondam una Isthmia spectasse dicuntur, cf. Plut. de prof. in virt. 8 (Stob. Flor. XXVIIII 89): Αἰσχύλος Ἰσθμοῖ θεώμενος ἀγῶνα πυκτῶν, ἐπεὶ πληγέντος ἑτέρου τὸ θέατρον ἐξέκραγε, νύξας τὸν Ἴωνα τὸν Χῖον ἔφη..; ol. 94, 4 Andocides fuit ἀρχιθεωρὸς εἰς Ἰσθμὸν καὶ Ὀλυμπίαζε (Andoc. de myst. 132, cf. Bergk PLG[4] I 483). Plat. Crito 52 B de se ipso dicit Socrates: οὔτ' ἐπὶ θεωρίαν πώποτε ἐκ τῆς πόλεως ἐξῆλθες, ὅτι μὴ ἅπαξ εἰς Ἰσθμόν. Thuc. VIII 10: ἐν δὲ τούτῳ τὰ Ἴσθμια ἐγίγνετο καὶ οἱ Ἀθηναῖοι (ἐπηγγέλθησαν γάρ) ἐθεώρουν ἐς αὐτά (a. 421 a. Chr.).; a. 392 bis Isthmia facta sunt et a Corinthiis et ab Argivis (Xenoph. Hell. IIII 5, 1 sq.: ἐποίησαν τῷ Ποσειδῶνι τὴν θυσίαν καὶ τὸν ἀγῶνα, cf. Plut. Ages. 21); adde Diodor. XIIII 86, 5.

[2]) Diodor. XI 65; Demosth. XXI 115 testatur se ἀρχιθεωροῦντα ἀγαγεῖν τῷ Διὶ τῷ Νεμείῳ τὴν κοινὴν ὑπὲρ τῆς πόλεως θεωρίαν (aestate a. 349, cf. Schäfer Demosth. u. s. Z. p. 66. 105). ὁ ἀρχιθέωρος ὁ εἰς τὰ Νέμεα commemoratur in plebiscito Attico CIA II 181, ol. 114, 2 (313/2) facto.

[3]) πολλῶν δὲ συγγραφέων ἀναγιγνωσκόντων ἀναίσθητα συγγράμματα, πολλῶν δὲ ποιητῶν ποιήματα ᾀδόντων, καὶ τούτους ἐπαινούντων ἑτέρων, πολλῶν δὲ θαυματοποιῶν θαύματα ἐπιδεικνύντων.

[4]) Messene a. 369 ab Epaminonda restituta εἰργάζοντο ὑπὸ μουσικῆς ἄλλης μὲν οὐδεμιᾶς, αὐλῶν δὲ Βοιωτίων καὶ Ἀργείων· τά τε Σακάδα καὶ Προνόμου μέλη τότε δὴ προήχθη μάλιστα ἐς ἅμιλλαν (Paus. IIII 27, 7), atque eodem tempore theatrum, cuius mentionem facit Paus. IIII 32, 6, extructum esse veri simile est; cf. Wieseler l. c. p. 200 adn. 117.

φάσκοντος Μεγαροῖ χορόν, ληρεῖς, ἔφη (Στρατόνικος)· ἐκεῖ μὲν γὰρ οὐκ ἔχεις, ἀλλ' ἔχει [1]).

In Attica quarto saeculo in primis scaenici agones instituti sunt a singulis pagis, qui urbis exemplum sequebantur. ac de agonibus in Piraeeo iam antea diximus [2]). magni deinde Thorici theatri reliquiae adhuc extant (cf. Bursian Geogr. v. Griech. I 353) et Collyti Demosthenis aetate tragoedias comoediasque in scaenam missas esse scimus [3]). apud Aexonenses autem aut comoediae solae agebantur aut primum certe obtinebant locum, cum coronae a pago decretae renuntiari iuberentur Διονυσίων τοῖς κωμῳδοῖς τοῖς Αἰξωνῆσιν ἐν τῷ θεάτρῳ (CIA II 585, ol. 116, 4 = 313/2 a. Chr.) [4]) Myrrhinusii cuidam decernunt (π)ροεδρί(αν ἐν ταῖς θέ)αις πάσαις, αἷς πο(ιο)ῦσι Μυρρινούσιοι (CIA II 575, cf. 578: χρηματίζειν περὶ Διονυσίων). Athmonenses denique honores a se donatos pronuntiari iubent Ἀμαρυσίων τῷ ἀγῶνι (CIA II 580, ol. 114, 1 = 324/3 a. Chr.) [5]).

Eleusine inde ab antiquissimis temporibus gymnicus agon floruit (chron. Par. l. 30, ep. 17, cf. A. Mommsen l. c. p. 263 sq.). posteriore aetate curricula equorum quoque et musica certamina hic celebrata esse e titulis ante hos duos annos repertis intellegimus, quibus pecuniarum rationes a. ol. 112, 4 (329/8 a. Chr.) continentur [6]). in

---

[1]) Aristoteles Eth. Nicom. p. 1123 a, ubi exempla profert illorum hominum, qui βάναυσοι dicuntur, haec dicit: οἷον ἐρανιστὰς γαμικῶς ἑστιῶν καὶ κωμῳδοῖς χορηγῶν ἐν παρόδῳ πόρφυρον εἰσφέρων, ὥσπερ οἱ Μεγαρεῖς; unde nihil de comoediis Megaris in scaenam commissis colligi posse monuit Wilamowitz Herm. VIIII 327.

[2]) De duobus theatris, quorum vetustius Munychiae (Thuc. VIII 93, Lys. XIII, 32, cf. Xen. Hell. II 4, 32) recentius ad Zeam portum fuit, cf. Milchhöfer Peiraieus (Curtius-Kaupert Karten v. Attika, Text I) p. 46. 63. 45. (67).

[3]) Aesch. I 157, Demosth. XVIII 180. Κολλυτὸς pagus in ipsa urbe situs erat, sed proprias suas habebat ferias et Διονύσια τὰ κατ' ἀγροὺς celebrabat.

[4]) cf. CIA II 579: ἐπειδὴ οἱ χορηγοὶ ἐπὶ Χρέμητος ἄρχοντος (ol. 113, 3 = 326/5 a. Chr.) Δημοκράτης Εὐφιλήτου καὶ Ἡγησίας Λυσιστράτου καλῶς καὶ φιλοτίμως ἐχορήγησαν Αἰξωνεῦσι, ἐπαινέσαι αὐτούς ... cf. titulum Mitth. d. d. arch. Inst. IV 194.

[5]) De pagorum feriis ac theatris cf. Wieseler l. c. p. 182 sq., A. Mommsen l. c. p. 325. 330 sq., Thumser l. c. p. 105 sq., Haussoullier La vie municipale en Attique (Paris. 1884) p. 164 sq.; de agonibus in Piraeeo dixi p. 47. in pago Phlyaeo quoque Dionysia spectaculis celebrata esse colligi potest ex Isaeo VIII 16, cf. Wieseler l. c. p. 183 adn. 117. de sollemnibus, quae Braurone celebrabantur, cf. A. Mommsen l. c. p. 122, 409 sq., Volkmann l. c. p. 308.

[6]) cf. Ephem. arch. ser. III. 1883. p. 110 sq., vv. 45 sq., Foucart Bull. de corr. hell. VIII 194 sq.; trieterica igitur et pentaeterica certamina Eleusine

his enim adsignantur: εἰς τὴν τριετηρίδα τῶν Ἐλευσινίων ἐπὶ τὸν γυμνικὸν ἀγῶνα καὶ τῆ[ς ἱπποδρομίας] καὶ τοῦ πατρίου ἀγῶνος καὶ τῆς μουσικῆς μέδιμνοι ΓΗΔΔ. distinguitur igitur a magnis Eleusiniorum sollemnibus patrius quidam agon, qui a solis Eleusiniis Baccho celebratus esse videtur, cf. Ephem. arch. ser. III (1883) p. 82 sq.: καὶ ἀναγορεύειν τοῦτον τὸν στέφανον Διονυσίων τῷ πατρίῳ ἀγῶνι Ἐλευσῖνι ἐν τῷ θεάτρῳ. his sine dubio Bacchi diebus festis scaenica illa certamina acta sunt, quorum mentio fit in titulo intra annos 350 et 330, ut videtur, scripto (Foucart Bull. de corr. hell. III 120, Dittenberger Syll. 345): καὶ ἀνειπεῖν τὸν στέφανον Ἐλευσῖνι ἐν τῷ θεάτρῳ τραγῳδῶν τῷ ἀγῶνι. neque vero lyricos choros his sollemnibus defuisse titulo docemur nuper demum Eleusine reperto (Ephem. arch. ser. III. 1884. p. 71 sq.), in quo Damasias Dionysi filius Thebanus laudatur, quod Διονύσ[ια π]οιούντων Ἐλευσινίων ἐσπούδασε[ν κ]αὶ ἐφιλοτιμήθη πρὸς τοὺς θεοὺς κ[αὶ τ]ὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων καὶ Ἐλευσιν[ίων], ὅπως ὡς κάλλιστα γένηται τὰ Διονύ[σ]ια καὶ παρασκευάσας τοῖς αὐτοῦ τέλεσι [1]) χοροὺς δύο, τὸν μὲν παίδων, τὸν δὲ ἀν[δ]ρῶν, ἐπέδωκεν τεῖ Δήμητρι καὶ τεῖ Κόρει καὶ τοῖ Διονύσοι, ... ἀνειπάτω δ' αὐτὸν ὁ μετὰ Γνᾶθιν δήμαρχος Διονυσίων τῶν Ἐλευσῖνι τοῖς τραγῳδοῖς, ὅτι ὁ δῆμος ὁ Ἐλευσινίων e. q. s.

Pagis Atticis addo Salamina insulam, in qua lyricorum chororum certamina prorsus eodem modo atque Athenis acta esse intellegimus e titulo choragico, qui initio quarti a. Chr. saeculi adscribendus est (Bull. de corr. hell. VI 521):

Διόδωρος Ἐξηκεστίδο | νικήσας χορῶι παίδων, | Παιδέας ἐδίδασκε, | Τηλεφάνης ηὖλε Μεγαρεύς [2]), | Φιλόμηλος ἦρχε.

---

agebantur. de pentaetericis cf. Poll. VIII 107 ἱεροποιοί· δέκα ὄντες οὗτοι ἔθυον τὰς θυσίας τὰς πενταετηρίδας, τὴν εἰς Δῆλον ... τὴν Ἐλευσῖνάδε. de praemiis propositis cf. Schol. Pind. Olymp. XIIII 150: ἄγεται δὲ αὐτόθι ἀγὼν Κόρης καὶ Δήμητρος, ὃς καλεῖται Ἐλευσίνια, οὗ ἔπαθλον κριθαί.

[1]) Sic enim legendum esse puto pro eis, quae Tsuntas in lapide sibi deprehendisse visus est ΛΕΛΗ | ΣΙ χορούς, cf. τοῖς ἰδίοις τέλεσι Thuc. VI 16, 3, Plut. Timol. 23, δημοσίοις τέλεσι Plut. Phoc. 38.

[2]) Duos Telephanes tibicines discernendos esse hic titulus demonstrat (aliter senserat Guhrauer Annal. phil. Supplem. VIII 342), quorum unus Samius, alter Megarensis erat: ad Megarensem, quem saeculi quarti parte priore vixisse titulo Salaminio demonstratur, referendus est Plutarchi locus de mus. 21: Τηλεφάνης ὁ Μεγαρικὸς οὕτως ἐπολέμησε ταῖς σύριγξιν, ὥστε τοὺς αὐλοποιοὺς οὐδ' ἐπιθεῖναι πώποτε εἴασεν ἐπὶ τοὺς αὐλούς, ἀλλὰ καὶ τοῦ

certe ineunti saeculo quarto optime convenit, quod διδάσκαλος primo, αὐλητὴς altero loco positus est. scaenica quoque certamina, quae in titulis posterioris aetatis commemorantur (cf. Rangabé Ant. hell. 675), sine dubio iam quarto saeculo instituebantur[1]).

In Boeotia iam antiquitus certaminum musicorum celebrandorum mos valuisse videtur. num eis, quae de Corinnae Pindarique certaminibus narrantur, veri quid subsit, in medio relinquendum est; certe quae de Corinnae imagine Tanagraea Paus. VIIII 22, 3 narrat, ex mystagogorum explicationibus petita esse veri simile est. item quod Suidas s. v. Κόριννα et Aelianus V. H. XIII 25 Corinnam quinquies de Pindaro victoriam reportasse narrant, fide vix dignum esse videtur, et apud ipsum Suidam legimus: ἐνίκησε πεντάκις, ὡς λόγος, quae sine dubio ex fonte antiquiore (Dionysii Halicarnassensis historia musica, ut videtur,) profecta sunt. maior igitur auctoritas tribuenda esse videtur ipsius Corinnae verbis (fr. 21 B.):

μέμφομη δὲ κὴ λιγουρὰν Μουρτίδ' ἰώνγα,
ὅτι βανὰ φοῦσ' ἔβα Πινδάροιο ποτ' ἔριν.

unde poetriam, quod feminae cum Pindaro certassent, vituperasse intellegimus. quare eam ipsam hoc, quod vituperaverat, fecisse, quamquam id fieri potuisse Welckero concedo, minime tamen veri simile est. neque voce ἔρις, ut Myrtim cum Pindaro in certamine publico de praemio proposito certasse cogitemus, cogimur, cum alio modo ea possit bene explicari[2]).

Πυθικοῦ ἀγῶνος μάλιστα διὰ ταῦτ' ἀπέστη. Telephanes Samius notus est ex Paus. I 44, 9: ἰοῦσι δὲ ἐκ Μεγάρων ἐς Κόρινθον ἄλλοι τέ εἰσιν τάφοι καὶ αὐλητοῦ Σαμίου Τηλεφάνους· ποιῆσαι δὲ τὸν τάφον Κλεοπάτραν τὴν Φιλίππου τοῦ 'Αμύντου λέγουσι, unde eum altera saeculi quarti parte vixisse veri simile est. uter autem fuerit Τηλεφάνης ὁ αὐλητής, qui anno 350 Demosthenis choragi tibicen fuit (Dem. XXI 17), difficile est diiudicare, cum uterque ea aetate in certamina prodire potuerit. ad Samium fortasse referendum est Nicarchi epigramma Anth. VII 159, ad Megarensem Stratonici facete dictum Ath. VIII 351 e.

[1]) Aeginae Suida auctore (s. v. Δράκων et πέτασος) iam Draconis aetate theatrum extitisse perhibetur, quod ut credamus vix adducimur. certamina scaenica in titulis alterius a. Chr. saeculi (cf. Hicks l. c. 189), χοροὶ γυναικήιοι et χορηγοὶ δέκα ἄνδρες iam ab Herodoto V 83 (cf. Boeckh Opusc. VII 250) commemorantur.

[2]) Re vera certamina inter Pindarum et duas illas poetrias instituta esse adfirmavit Welcker Opusc. II 154 sq., quem secuti sunt Bergk Hist. litt. Gr. II 379 sq. (cf. adn. 163) et Flach Griech. Lyr. p. 674 sq. et aliqua ex

Thespiis antiquus agon musicus floruisse videtur. certe Musarum in Helicone cultus vetustissimus est, id quod demonstrat vetus ille tripus, quem ab Hesiodo dedicatum esse narraverunt (Paus. VIIII 31, 3) et Ath. XIIII 629 a: Ἀμφίων δὲ ὁ Θεσπιεὺς ἐν δευτέρῳ περὶ τοῦ ἐν Ἑλικῶνος μουσείου[1]) ἄγεσθαί φησιν ἐν Ἑλικῶνι παίδων ὀρχήσεις μετὰ σπουδῆς, παρατιθέμενος ἀρχαῖον ἐπίγραμμα τόδε·

Ἀμφότερ᾽, ὠρχεύμαν τε καὶ ἐν Μώσαις ἐδίδασκον
ἄνδρας[2]). ὁ δ᾽ αὐλητὰς ἦν Ἄνακος Φιαλεύς.
εἰμὶ δὲ Βακχείδας Σικυώνιος· ἦ ῥα θεοῖσι
τοῖς Σικυῶνι καλὸν τοῦτ᾽ ἀπέκειτο γῆρας.

atque etiam apud Corinnam (fr. 23) Θέσπια μουσοφίλητος dicitur. origo igitur praeclarissimorum duorum sollemnium Thespiacorum — Μουσεῖα et Ἐρωτίδια dico — satis alte repetenda est, quamquam diserta huius rei testimonia desunt. loci autem, quibus de his agonibus edocemur, sunt hi: Paus. VIIII 31,3: ἑορτὴν δὲ ἐνταῦθα (sc. ἐν Ἑλικῶνι) οἱ Θεσπιεῖς καὶ ἀγῶνα ἄγουσι Μουσεῖα· ἄγουσι δὲ καὶ τῷ Ἔρωτι ἆθλα οὐ μουσικῆς μόνον ἀλλὰ καὶ ἀθλητικῆς τιθέντες, Plut. Erot. 1: ἐν Ἑλικῶνι παρὰ ταῖς Μούσαις τὰ Ἐρωτικὰ Θεσπιέων ἀγόντων· ἄγουσι γὰρ ἀγῶνα πενταετηρικόν, ὥσπερ καὶ ταῖς Μούσαις, καὶ τῷ Ἔρωτι φιλοτίμως πάνυ καὶ λαμπρῶς, cf. Ath. XIII 561 e, Philost. vol. II p. 248 K. de titulis posterioris aetatis, quae ad haec certamina spectant, infra dicetur, ubi etiam de Charitesiis Orchomeni, de Sarapieis Tanagrae, de Amphiaraeis Oropi celebratis agendum erit[3]). Amphiaraea iam saeculo quarto certaminibus musicis et gymnicis celebrata esse nunc scimus e titulo, qui a Kumanudi Eph. arch. ser. III. 1884. p. 128 n. 5 editus iam p. 19 a me exscriptus est[4]); in quo musici victores recensentur hi: (ῥαψ)ῳδός,

---

parte L. Schmidt Pindars Leben p. 19. contra omnia, quae de his rebus narrantur, tamquam fabulas et absurde inventa reiecit Wilamowitz Homer. Untersuch. p. 321 adn. 33.

[1]) Scripserat etiam Nicocrates περὶ τοῦ ἐν Ἑλικῶνι ἀγῶνος (schol. Il. XIII 2) cf. Censorin. de die nat. 10: 'Nicocrates in libro quem composuit de musio' et Iahn Mus. Rhen. VI 636.

[2]) Mirum est, cum Amphion παίδων ὀρχήσεις in usu fuisse demonstrare voluerit, epigramma adponi, quo ἄνδρες commemorantur. quare alterutrum mutandum esse videtur.

[3]) De feriis et certaminibus Boeoticis cf. C. F. Hermann l. c. §. 63, Preuss Quaestiones Boeoticae (Progr. d. Nicolaigymn. in Leipzig 1879) p. 26 sq.

[4]) Vix enim dubitari potest, quin titulus ad Amphiarai sollemnia referendus sit.

ἀνήρ κιθαριστής, ἀνὴρ αὐλῳδός, αὐλητής, κιθαρῳδός, σοφιστής. dolendum autem est, quod initium tituli ita mutilatum est, ut, quo modo supplendum sit, omnino definiri nequeat. collatis autem ceteris eius modi titulis Oropiis, qui sane aetatis multo recentioris sunt, facile aliquis suspicetur hic quoque initio ἐγκώμιον ἐπικὸν et ἐπῶν ποιητὴς scripta fuisse (vv. 2 et 3); altera ex parte, cum vv. 4 et 5 ἀνὴρ κιθαριστὴς et ἀνὴρ αὐλῳδὸς nominati sint, veri simile est eis παῖδα κιθαριστὴν et παῖδα αὐλῳδὸν oppositos eorumque nomina vv. 2 et 3 exhibita fuisse. speramus autem fore ut titulo illo iterum accuratius inspecto una alterave littera initio vv. 2 et 3 eruatur, unde certius quid de supplementis liceat statuere.

Maxime autem certamina musica saeculo quarto Thebis floruisse videntur, ubi in primis tibiis cantandi ars inde a medio saeculo quinto quam maxime exculta est [1]). Thebis enim orti sunt summi illi tibicines, veluti Pronomus (Ath. XIIII 631 e, Paus. VIIII 12, 5), Diodorus (Poll. IIII 80), Nicopheles (Poll. IIII 77), Antigenidas (Suid. s. v.), Olympiodorus et Orthagoras (Ath. IIII 184 e, Corn. Nep. Epam. 2, Plat Prot. 318 C), Timotheus (Luc. Harm. 1 sq.), Theo (Ath. IIII 176 c d), Dorotheus (Anth. XVI 7), alii multi [2]). inter quos re vera certamina habita esse cum per se consentaneum sit, tum colligi potest ex epigrammate Anth. XVI 28:

Ἑλλὰς μὲν Θήβας προτέρας προὔκρινεν ἐν αὐλοῖς,
Θῆβαι δὲ Πρόνομον παῖδα τὸν Οἰνιάδου.

neque Cleonem citharoedum hoc loco omittere licet, cuius statuam Pythagoras Rheginus Thebis confecerat; cf. epigramma apud Athenaeum I 19 b servatum, ex quo intellegimus Boeotos ab hac quoque arte iam quinto a. Chr. saeculo minime alienos fuisse [3]). atque Thebis iam Epaminondae aetate theatrum extitisse ex

[1]) Memorabilis in primis est Dionis Chrysostomi locus VII 263 R.: εἰκὸς δὲ ἀγανακτεῖν καὶ Θηβαίους, ὡς τῆς νίκης αὐτῶν ὑβριζομένης, ἣν προεκρίθησαν ὑπὸ τῆς Ἑλλάδος νικᾶν ἐπ' αὐλητικῇ· ταύτην δὲ τὴν νίκην οὕτω σφόδρα ἠγάπησαν, ὥστε ἀναστάτου τῆς πόλεως αὐτοῖς γενομένης καὶ ἔτι νῦν σχεδὸν οὔσης.... τῶν μὲν ἄλλων οὐδενὸς ἐφρόντισαν τῶν ἠφανισμένων ... τὸν δὲ Ἑρμῆν ἀναζητήσαντες πάλιν ἀνώρθωσαν, ἐφ' ᾧ ἦν τὸ ἐπίγραμμα τὸ περὶ τῆς αὐλητικῆς· Ἑλλὰς μὲν Θήβας νικᾶν προὔκρινεν ἐν αὐλοῖς· καὶ νῦν ἐπὶ μέσης τῆς ἀρχαίας ἀγορᾶς ἓν τοῦτο ἄγαλμα ἕστηκεν ἐν τοῖς ἐρειπίοις.

[2]) De tibicinibus Thebanis cf. Dinse De Antigenida Thebano p. 34 sq

[3]) ἐν δὲ Θήβαις Πινδάρου μὲν οὐκ ἔστιν εἰκών, Κλέωνος δὲ τοῦ ᾠδοῦ, ἐφ' ἧς ἐπιγέγραπται:

eis intellegimus, quae Plutarchus Praec. ger. rei publ. 3 tradidit (cf. Wieseler l. c. p. 198 adn. 83). idem Epaminondam choragi munere functum esse testatur (Alc. 1): καὶ γὰρ Ἐπαμεινώνδας, ὃν πάντες ἄνθρωποι γινώσκουσιν ἐν πενίᾳ καὶ τραφέντα πολλῇ καὶ βιώσαντα, καὶ Πλάτων ὁ φιλόσοφος οὐκ ἀφιλοτίμως ἀνεδέξαντο χορηγίας, ὁ μὲν αὐληταῖς ἀνδράσιν, ὁ δὲ παισὶ κυκλίοις χορηγήσας, τούτῳ μὲν Δίωνος τοῦ Συρακουσίου τὴν δαπάνην παρέχοντος, Ἐπαμεινώνδᾳ δὲ τῶν περὶ Πελοπίδαν. enuntiatum autem αὐληταῖς ἀνδράσι χορηγεῖν idem valet, quod ἀνδράσιν χορηγεῖν; neque de tibicinum aliquo choro cogitare licet. ita Demosthenes XXI 156 se αὐληταῖς ἀνδράσι choragiam sustinuisse dicit, ubi de cantorum choro verba fieri manifestum est ex §. 17 et 51[1]) (cf. etiam Aristot. Poet. 26). in Boeotia autem eadem instituta valuisse atque Athenis tituli choragici Orchomeni reperti demonstrant, in quorum uno (CIG 1579) haec legimus: Μύριχος Πολυκράτιος, Ἱαρώνυμος Διογίτονος ἄνδρεσσι χοραγείσαντες νικάσαντες Διωνύσοι ἀνέθεικαν, Τίμωνος ἄρχοντος, αὐλίοντος Κλεινίαο, ἀΐδοντος Ἀλκισθένιος.

Alia praeterea in Boeotia acta sunt sollemnia, quae, cum gymnicis tantum certaminibus celebrata esse videantur, breviter commemorare satis habeo. veluti Plataeis post nobilem illam victoriam de Persis reportatam Aristide auctore Graeci πενταετηρικὸν ἀγῶνα τῶν Ἐλευθερίων instaurare decreverunt[2]). atque ita Boeoti post victoriam apud Delium a. ol. 89, 1 (424 a. Chr.) τὰ Δήλια

Πυθέα υἱὸς ὅδ' ἐστὶ Κλέων Θηβαῖος ἀοιδός,
ὃς πλείστους θνητῶν ἀμφέθετο στεφάνους
κρατὸς ἐπὶ σφετέρου, καὶ οἱ κλέος οὐρανομῆκες·
χαῖρε, Κλέων, Θήβας πάτριδ' ἐπευκλεΐσας.

coll. Plin. N. H. XXXIIII 59 Cleonem illum citharoedum fuissse colligi potest.

[1]) cf. Boeckh Comm. ac. Berol. 1817 p. 64, Dinse l. c. p. 44, Wieseler Satyrspiel p. 47, Bergk l. c. II 508 adn. 31. eodem modo in titulo Teio CIG 3089 scripta invenimus αὐλητῶν ἀνδρῶν χορηγός, quem excipit αὐλητὴς unus. optime Bergk contulit titulum a Kirchhoffio editum (Mon. Ber. der Berl. Academie 1859 p. 754 n. 3), in quo legimus ἐχορήγουν παίδων αὐληταῖς ... ἀνδρῶν αὐληταῖς. tibicines enim longe primum locum tenebant ita, ut chororum lyricorum choragi nominarentur tibicinum choragi. itaque si in titulo Assi invento (Investigations at Assos I p. 137) urbs quaedam coronari iubet civem quendam bene meritum Διονυσίοις αὐλητῶν τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ, id non de tibiarum assarum cantu, sed de choris, qui tibiis accinentibus canebant, accipiendum esse videtur.

[2]) Plut. Arist. 21, Strabo VIIII 632, Paus. VIIII 2, 4.

celebranda constituerunt[1]). et post pugnam Leuctricam in honorem Iovis regis Basilea sollemnia Lebadeae instituta sunt[2]).

Missis igitur his ceterisque agonibus Boeoticis ad Delphica Pythiorum certamina transeo, quae inter singulorum musicorum agonas praeter Panathenaea primum obtinebant locum. sed paucorum tantum qui in eis vicerunt memoria servata est. inter quos primo loco nominandus est Midas Agrigentinus tibicen, cuius victoriam Pindarus carmine Pythio XII celebravit[3]). Alcibiadis deinde temporibus Chrysogonus quidam tibicen πυθιονίκης commemoratur[4]). et praeclarissimum quemque tibicinem Pythiis certare solitum esse ex eis colligi potest, quae de Telephane Megarensi Plut. de mus. 21 narrat: οὕτως ἐπολέμησε ταῖς σύριγξιν, ὥστε τοὺς αὐλοποιοὺς οὐδ' ἐπιθεῖναι πώποτε εἴασεν ἐπὶ τοὺς αὐλούς, ἀλλὰ καὶ τοῦ Πυθικοῦ ἀγῶνος μάλιστα διὰ ταῦτ' ἀπέστη[5]). in citharoedorum agone vicit Execestides (schol. Arist. Av. 11), quem supra commemoravi. cui addo Eunomum Locrum citharoedum, de quo haec memoriae tradit Strabo VI 260: φησὶ δὲ Τίμαιος (fr. 65 M.) Πυθίοις ποτε ἀγωνιζομένοις τοῦτόν τε καὶ Ἀρίστωνα Ῥηγῖνον ἐρίσαι περὶ τοῦ κλήρου... νικῆσαι μέντοι τὸν Εὔνομον καὶ ἀναθεῖναι τὴν λεχθεῖσαν εἰκόνα ἐν τῇ πατρίδι (ἐν Λοκροῖς)[6]). tum belli Peloponnesiaci temporibus Aristonus quidam sexies primum praemium nanctus est, cf. Plut. Lys. 18. atque eadem aetate Pythiis etiam praeconum et tibicinum certamina habebantur, quae ol. 96 Olympiae quoque instituta esse testis est Eusebius Chron. I ol. 96 (I 204 sq. Schoene)[7]). ita

---

[1]) Diod. Sic. XII 70, 5, Schol. Pind. Olymp. VII 153.

[2]) Diod. XV 53. Τροφώνια ἐν Λεβαδείᾳ (Schol. Pind. Olymp. VII 153) ab his sollemnibus diversa non esse videntur, cf. Preuss l. c. p. 29. aliter statuerat Keil Syll. inscr. Boeot. p. 54. quarto saeculo in Basileis musica quoque certamina acta esse statuas, si recte Βασίλεια, in quibus Nicocles citharoedus vicisse dicitur (cf. p. 72), ad sollemnia Lebadensia homines docti rettulerunt.

[3]) Midas in scholiis Pythiade 24 et 25 i. e. ol. 71, 3 et 72, 3 Delphis primum praemium rettulisse et Athenis quoque vicisse dicitur.

[4]) Duris Samius narraverat in Alcibiadis reditu (a. 408 a. Chr.) αὐλεῖν ἐρεσίαν τοῖς ἐλαύνουσιν Χρυσόγονον τὸν πυθιονίκην (Plut. Alc. 32), cf. Ath. XII 535 d.

[5]) cf. etiam quae de tibicina quadam Ath. XIII 605 a narrat.

[6]) De variis fabulis, quae ad Eunomi statuae habitum explicandum excogitatae esse videntur, cf. Jacobs Animadv. in Anth. III 1, p. 159; Eunomi adversarius nominatur Parthes a Paulo Silent. (Anth. VI 54) cf. Anth. VIIII 584.

[7]) προσετέθη σαλπιγκτὴς καὶ ἐνίκα Τίμαιος Ἠλεῖος, προσετέθη καὶ κῆρυξ καὶ ἐνίκα Κράτης Ἠλεῖος. de praeconum certaminibus cf. Poll. IIII

Archiam Hyblaeum praeconem saeculo quarto Pythiis victoriam reportasse scimus[1]), et Herodorum Megarensem tubicinem Demetrii Poliorcetae temporibus decies aut septies decies τὴν περίοδον quam dicunt totiensque igitur Pythiis quoque vicisse comperimus[2]).

In septentrionali Graecia Dodonae iam antiquis temporibus certamina musica acta esse cum theatrum, quod ibi extat (cf. Karapanos Dodone et ses ruines p. 13 sq.), tum lapides probant. quinto saeculo adscribendus est titulus tripodi insculptus, qui ad victoriam in Iovis Nai sollemnibus reportatam spectare videtur:

Τερψικλῆς τῷ Διὶ Ναΐῳ ῥαψῳδὸς ἀνέθηκε.

(Karapanos l. c. pl. XXIII 2 et 2*b*, cf. p. 40, Roberts Journ. of hell. stud. 1881 p. 105, Bursian Acta acad. Mon. 1878, 2 p. 7, Roehl IGA 502). ad posteriorem aetatem hi tituli referendi sunt: Karapanos l. c. p. 45 n. 16. 17.: ἐπὶ ἀγωνοθέτα Μαχάτα Παρθαίου Διὶ Νάοι καὶ Διώνᾳ et p. 64, n. 21: ἀγωνοθε[τοῦντος?] .. [Ἀν]δρομάχου, cf. Roberts l. c. p. 166, Roehl Bursiani ann. XXXII 130, Heuzey in Karapani libro p. 228.

Apud Thessalos temporibus constitutis commissiones musicas habitas esse non veri simile videtur. verum ut sexto saeculo exeunte Crannone et Larisae apud Scopadas et Aleuadas summos poetas versatos esse scimus, sic saeculo quarto tyrannos Pheraeos ab artibus elegantioribus non alienos fuisse ea demonstrant, quae de Theodoro tragoedo apud Alexandrum (369—58) versante narrantur[3]) (cf. Welcker l. c. p. 928).

In Euboea sexto quintoque saeculo artes musicas minime neglectas esse Tynnichi Hypodici Mynnisci Chalcidensium, Achaei Eretriensis nomina demonstrant[4]). sola igitur documentorum inopia

---

91 sq., Luc. de morte Per. 32, Cicero ad fam. V 12, 8, Bergk PLG⁴ III p. 660 ad carm. pop. 16; adde quoque Paus. V 22, 1, Kaibel l. c. n. 938.

[1]) Poll. IIII 91: τὸ δὲ κηρύκων γένος ... καὶ τοὺς ἀγωνιστὰς ἀνεκήρυττεν· καὶ ἦν ἀγώνισμα σάλπιγγος πρεσβύτερον· εἰς δὲ φιλοτιμίαν τῶν ἐπ' αὐτῷ προελθόντων οἵ τε καλούμενοι πόδες συνετίθεσαν, ἔλεγχος ἔχοντες εἰς μῆκος πνεύματος ... πρότερον δ' Ὀλυμπίασι τῶν ἐπιχωρίων κηρυττόντων ... πρῶτος τῶν ξένων ἠγωνίσατο τὰ Ὀλύμπια Ἀρχίας Ὑβλαῖος, καὶ τρεῖς ὀλυμπιάδας ἐφεξῆς ἐνίκα, ἐνίκα δὲ καὶ Πυθοῖ e. q. s.

[2]) Ath. X 414e: Ἀμάραντος δὲ ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν τοῖς περὶ σκηνῆς Ἡρόδωρόν φησι τὸν Μεγαρέα σαλπιγκτὴν γενέσθαι τὸ μὲν μέγεθος πηχῶν τριῶν καὶ ἡμίσους, εἶναι δὲ καὶ τὰς πλευρὰς ἰσχυρόν ...; praeconum tubicinumque certamina magis ad gymnicos quam ad musicos agonas pertinuisse patet.

[3]) Plut. Pelop. 29, cf. Ael. V. H. XIIII 40, Plut. de fort. Alex. II 2.

[4]) cf. Wilamowitz Antigonos von Karystos p. 138.

factum esse videtur, ut de certaminibus Euboeensium musicis ante Alexandri aetatem nihil compertum habeamus[1]).

In Macedoniam inde ab altera saeculi quinti parte poetas musicosque Graecos a regibus vocatos esse scimus. ita Melanippides apud Perdiccam II. diu versatus est (cf. Hesych. s. v.), in Archelai regiam Timotheus Milesius, Choerilus Samius (cf. Hesych. s. v.), Euripides et Agatho tragici convenerunt. Timotheum diem supremum in Macedonia Perdicca III. aut Philippo Amyntae filio regnante[2]) obiisse Stephanus Byz. (s. v. Μίλητος) testatur, denique Stratonicum quoque Pellae versatum esse comperimus ex Ath. VIII 348 c, cf. 350 c. Archelaus Dii in Iovis Musarumque honorem agonas scaenicos instauravit, quos Alexandri quoque aetate actos esse scimus[3]). Olyntho expugnata Philippus magno cum splendore nescio quo loco 'Ολύμπια celebravit teste Demosthene (XVIIII 192 sq.): ἐπειδὴ γὰρ εἷλεν Ὄλυνθον Φίλιππος 'Ολύμπια ἐποίει, εἰς δὲ τὴν θυσίαν ταύτην καὶ τὴν πανήγυριν πάντας τοὺς τεχνίτας συνήγαγεν. ἑστιῶν δ'αὐτοὺς καὶ στεφανῶν τοὺς νενικηκότας ἤρετο Σάτυρον τουτονὶ τὸν κωμικὸν ὑποκριτὴν e. q. s. (cf. Diodor. XVI 55). idem ad nuptias Cleopatrae filiae celebrandas Aegis ἀγῶνάς τε μουσικοὺς μεγαλοπρεπεῖς ἐποίει καὶ λαμπρὰς ἑστιάσεις (Diodor. XVI 91), quos cum spectaturus esset, ipse in theatro occisus est (Diodor. XVI 93)[4]).

---

[1]) De theatris Euboeicis cf. Wieseler l. c. p. 195 adn. 69. theatrum Chalcidense, cuius mentionem facit Dicaearch. Βίος 'Ελλ. (fr. hist. Gr. ed. Müller II p. 260) Alexandri aetate antiquius fuisse veri simile est.

[2]) Chronici Parii locus, quo Timothei mors refertur, lacunosus est (l. 88, ep. 76): ἀφ' οὗ Τιμόθεος βιώσας ἔτη ΓΔΔΔΔ ἐτελεύτησεν ἐτ ...., ubi non ἐτελεύτησεν sed ἔτη supplendum esse monuerunt Bergk (l. c. II 539 adn. 54) et Dopp (de chron. Par. p. 41), ita ut Timothei mors anno alicui, qui medius est inter ol. 103, 3 et 105, 4, adscribenda esset. Flach, qui chron. Par. p. 34 Doppii coniecturam probavit, postea nihilominus Timothei mortem iterum ad ol. 105, 4 rettulit. de Suidae verbis (s. v. Τιμόθεος) diversas sententias protulerunt Wachsmuth (Daub de Suid. p. 429 adn.) et Rohde (Mus. Rhen. XXXIIII 572).

[3]) Diodor. XVII 16 (Alexander) θυσίας τοῖς θεοῖς συνετέλεσεν ἐν Δίῳ τῆς Μακεδονίας καὶ σκηνικοὺς ἀγῶνας Διὶ καὶ Μούσαις, οὓς 'Αρχέλαος πρῶτος κατέδειξεν; v. Dio Chrysost. or. II p. 73 R; cf. infra p. 73.

[4]) Theodorum Aristodemum Neoptolemum, tragoediarum histriones, saepe in Macedonia versatos esse e Demosthenis orationibus satis constat (cf. Schäfer l. c. II 180 sq.). Anaxandridam, mediae comoediae poetam, Philippi certaminibus interfuisse tradit Hesychius s. v. 'Αναξανδρίδης (γεγονὼς ἐν τοῖς ἀγῶσι τοῦ Φιλίππου τοῦ Μακεδόνος, ὀλυμπιάδι ρή) ubi probabiliter Gutschmid (cf. Flach Hesychii Onomatologii quae supersunt p. LXVIII) scribendum coniecit

Pauca sunt, quae de urbium Thraciarum sollemnibus ad nostram memoriam prodita sunt. Perinthus et Byzantium, quae urbes ante Philippi aetatem quam maxime florebant, sine dubio commissionibus musicis non carebant [1]). Byzantii citharoedos saeculo quarto ineunte in scaenam prodiisse comperimus ex narratiuncula Clearchi (Ath. VIII 350 a). in decreto Atheniensium CIA II 251 in honorem Asclepiadis Byzantii facto, quod ultimis saeculi quarti annis (ol. 118, 2—120, 1) adsignandum esse Eustradiades et Koehler docent, haec legimus: χειροτονῆσαι τὸν δῆμον τρεῖς ἄνδρας....., οἵτινες ἀφικόμενοι εἰς Βυζάντιον ἀξιώσουσιν τὸν δῆμον τὸν Βυζαντίων ψηφίσασθαι τὸν στέφανον ἀναγορεῦσαι ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίων τῷ ἀγῶνι e. q. s.; unde theatrum ibi commemoratum et certamen optimo iure ad antiquiora tempora referre possumus. Abderam [2]) Stratonicum citharistam profectum esse ἐπὶ τὸν ἀγῶνα τὸν τιθέμενον αὐτόθι narrat Machon (Ath. VIII 349 b). Cotyis quoque Thracum regis aulam artifices musicos visitasse ex eis intellegimus, quae Anaxandrides (Ath. IIII 131 a, Anaxandr. fr. 41, II p. 151 K.) dixit de Iphicratis nuptiis cum Cotyis filia (ol. 99, 1 vel 2 = 383 vel 382 a. Chr.) celebratis (cf. Schäfer l. c. Beilage p. 142). denique etiam in regno Bosporano agonas quosdam institutos esse docet titulus CIG 2118 (Dittenberger Syll. 103): Μήστωρ Ἱπποσθένεος ὑπὲρ τοῦ πατρὸς ἀνέθηκε Ἀπόλλωνι ἀγωνοθετήσας, ἄρχοντος Παιρισάδεος Βοσπόρου καὶ Θεοδοσίης καὶ βασιλεύοντος Σινδῶν καὶ Μαϊτῶν πάντων (342-309). et Stratonicum diu apud Paerisadem Ponti regem versatum esse cognoscimus ex Ath. VIII 349 d.

ὀλυμπιάδι ριά, ita ut ea ipsa certamina Aegensia, in quibus Philippus interfectus est, intellegenda essent. de theatris quinto quartoque saeculo Aegis Pellae Dii extructis cf. Wieseler l. c. p. 196 adn. 73.

[1]) προεδρίαν ἐν τοῖς ἀγῶσι Byzantii et Perinthii Atheniensibus decernunt in decreto illo Demosth. orationi XVIII 90 sq. inserto, quod manifesto ficticium, sed a falsario non prorsus imperito confectum est. nescio cui aetati adsignandus sit titulus Perinthius, quem nuper edidit Mordtmann Archäol. epigraph. Mittheil. a. Oesterreich VII 2 p. 215 n. 38: ἔδοξεν τῆι βουλῆι καὶ τῶι (δή)μωι· Ποσειδ(ώ)νιος Διοσ(κο)ρίδου ὁ ἀγωνοθέτης εἶπε·...... καὶ ἐπελθὼν ἐπὶ τὴμ βουλ(ὴν)... ΙΝ Ἀθηναῖον τὸν τραγω(ιδὸν.... ἐπι)δημήσαντα εἰς ΤΕ(?)...; certe satis antiquus is esse videtur.

[2]) Διονυσίων ὁ ἀγὼν in titulo Abderitano saec. II. a. Chr. commemoratur Bull. de corr. hell. IIII 47 (Dittenberger Syll. 228). Lysimacho regnante Archelaum quendam tragoedum, cum Euripidis Andromacham ageret, Abderitarum animos miro modo concitavisse narrat Luc. Quo modo hist. sit conscr. 1.

Postquam Graeciae regiones, quae ad Europam continentem pertinent, percucurrimus, iam ad sollemnia, quae in insulis inter Europam et Asiam sitis agebantur, examinanda transeamus. ac primo loco propter dignitatem, qua florebant, Deli certamina ponenda videntur, de quibus et titulis et scriptorum locis accuratius edocemur. cum igitur antiquioribus temporibus in hac insula amplissimi agones musici celebrati essent, inde a bellorum Persicorum temporibus mercatus Deliacos minoris momenti fuisse intellegitur e Thucydidis verbis III 104, 6: τοσαῦτα μὲν Ὅμηρος ἐτεκμηρίωσεν, ὅτι ἦν καὶ τὸ πάλαι μεγάλη ξύνοδος καὶ ἑορτὴ ἐν τῇ Δήλῳ· ὕστερον δὲ τοὺς μὲν χοροὺς οἱ νησιῶται καὶ οἱ Ἀθηναῖοι μεθ' ἱερῶν ἔπεμπον, τὰ δὲ περὶ τοὺς ἀγῶνας καὶ τὰ πλεῖστα κατελύθη ὑπὸ ξυμφορῶν. videntur enim singulae insulae Cyclades choros constitutis temporibus Delum misisse, qui Apollinem Delium hymnis celebrarent, cf. Dionys. Perieg. 527 sq.; quos in primis virginum choros fuisse narrat Strabo X 485: αἱ περιοικίδες νῆσοι κατὰ τιμὴν πέμπουσαι δημοσίᾳ θεωρούς τε καὶ θυσίας καὶ χοροὺς παρθένων πανηγύρεις τε ἐν αὐτῇ συνάγουσαι μεγάλας. hi Deliadum quae vocabantur chori posteriore quoque tempore mittebantur, unde in tabulis Deliacis saepius eorum dedicationes commemorantur (Δηλιάδων χορεῖα, ἐπιδόντων τῶν δείνων θεωρῶν). neque vero virginum tantum chori, sed virorum quoque antiquitus Delum conveniebant, cf. Paus. IIII 4, 1: ἐπὶ δὲ Φίντα τοῦ Συβώτα πρῶτον Μεσσήνιοι τότε τῷ Ἀπόλλωνι ἐς Δῆλον θυσίαν καὶ ἀνδρῶν χορὸν ἀποστέλλουσι[1]). ita Pindarus Ceis Δηλιακὸν παιᾶνα scripsit (fr. 87, 88 B.), quod munus respicere videtur poeta initio Isthmii carminis primi vv. 3 sq.: μή μοι κραναὰ νεμεσάσαι Δᾶλος, ἐν ᾇ κέχυμαι.... ἀμφοτερᾶν τοι χαρίτων σὺν θεοῖς ζεύξω τέλος καὶ τὸν ἀκειρεκόμαν Φοῖβον χορεύων ἐν Κέῳ ἀμφιρύτᾳ σὺν ποντίοις ἀνδράσιν, καὶ τὰν ἁλιερκέα Ἰσθμοῦ δειράδ'. eodem igitur tempore et epinicium illud Isthmium et carmen prosodiacum composuit, quod chorus Ceiorum domi disceret et coram popularibus caneret, antequam in sollemnibus Deliacis ipsis recitaretur[2]). Ceios saeculo quarto puerorum chorum

---

[1]) Eodem modo saeculo quinto Pronomus tibicen Thebanus Chalcidensibus προσόδιον ἐς Δῆλον composuit (Paus. VIIII 12, 4).

[2]) Bergkium in hac re secutus sum (PLG⁴ I p. 482), alii aliter rem explicarunt; cf. scholiastae verba: πῶς οὖν τὸ Δηλιακὸν ποίημά φησιν ᾄδειν ἐν Κέῳ; μήποτε οὖν προαναλαμβάνοντας ἐν ταῖς πατρίσιν, οὗ οἱ χορευταὶ ἐμελέτων τὰς ᾠδὰς καὶ οὕτως ἀπῄεσαν.

Delum misisse docet titulus nuper repertus (ed. F. Halbherr Museo ital. di antichità class. vol. I punt. II p. 208 l. 37 sq.): χορηγήσας παι|σὶν εἰς Δῆλον | στεφανωθεὶς | ὑπὸ τοῦ δήμου | χρυσῷ στεφά|νῳ ἀνέθηκεν | τὸν στέφανον | τῷ Ἀπόλλωνι | δραχμὰς ἑκα|τόν. sed ad Thucydidis locum, unde profecti sumus, redeamus. docet enim ibi auctor gravissimus Athenienses anno ol. 88, 3 (426/5 a. Chr.) veteres agonas instaurasse, ita ut quinto quoque anno Delia maiora celebrarentur [1]). belli Peloponnesiaci temporibus haec sollemnia ab Atheniensibus summo cum splendore acta sunt; in primis celebris fuit Niciae architheoria Deliaca (ol. 90, 3 = 418/7 a. Chr.), cf. Plut. Nic. 3, Boeckh Staatshaush. II 82. 96. in actis Amphictyonum Deliacorum, quae post alios nunc optime edidit Koehler CIA II 814, fr. a. vv. 31—40 inter pecunias expensas recensentur haec: τρίποδες νικητήρια τοῖς χοροῖς καὶ τῷ ἐργασαμένῳ μισθὸς· X | ἀρχεθεώροις· T | εἰς κομιδὴν τῶν θεωρῶν καὶ τῶν χορῶν Ἀντιμάχῳ | Φίλωνος Ἑρμείῳ τριηράρχῳ· TX. quae cum Boeckh eumque secuti alii homines docti (Hicks Historical inscriptious 82, Dittenberger Syll. 70) ad sollemnia maiora sive pentaeterica, quae mense Thargelione tertii cuiusque olympiadis anni celebrabantur, rettulissent, Koehler e novo lapidis fragmento (*b*), quod ipse primus edidit, annua sollemnia, quae inde a Thargelione a. ol. 100, 4 usque ad Scirophorionem a. ol. 101, 2 (375/4 a. Chr.) habita sunt, significari demonstravit (p. 279), ita ut facile nunc intellegamus, cur compluribus architheoris pecuniae erogatae esse perhibeantur. praeterea Deli choris victoribus tripodas praemiis datos esse hoc titulo docemur. in novo deinde horum actorum fragmento *b*, quo rationes pecuniarum acceptarum et impensarum inde a mense Scirophorione a. ol. 101, 2 usque ad initium a. ol. 101, 3 continentur, haec legimus vv. 26—35:

ἀπὸ[τούτου τάδε ἀνηλώθη· εἰς ἱερὰ τ[ὰ κ]ατὰ μῆνα καὶ μουσικῆς ἆθλα καὶ γυμ[νικῆς καὶ..... κ]αὶ σαλπικτεῖ καὶ κήρυκι καὶ τῷ ὑ...

quae propter mentionem musici et gymnici certaminis ad sollemnia pentaeterica spectare Koehler censuit p. 280. accuratiora de modo, quo saeculo tertio Deliaca certamina habebantur, comperimus ex ea titulorum serie, quam edidit Hauvette-Besnault Bull. de corr.

---

[1]) Atheniensium chori Deliaci commemorantur in lex. Cantabr. (Phot. ed. Porson. 670): ἐπώνυμος ἄρχων ... ἐπιμελεῖται δὲ καὶ τῶν εἰς Δῆλον καὶ τῶν ἀλλαχόσε πεμπομένων Ἀθήνηθεν χορῶν.

hell. VII 103—125[1]). in quibus postquam enumerati sunt choragi, qui Apolloniis et Dionysiis (παίδων, τραγῳδῶν, κωμῳδῶν) liturgiam subierunt, praemissis verbis: καὶ οἵδε ἐπεδείξαντο τῷ θεῷ, recensentur tragoedi comoedi tibicines citharoedi, quibus nonnumquam etiam κιθαριστὴς aut ψάλτης aut ῥαψῳδὸς aut θαυματοποιὸς adduntur. num vero omnia haec certamina iam ante Alexandri aetatem agi solita sint, dubitari potest. sed iam saeculo quarto singulorum quoque musicorum agonas hic habitos esse confirmare videtur titulus, quem S. Reinach Bull. de corr. hell. VIII 170 edidit: Δέρκων | Ἀθηναῖος | τοὺς κιθ[αριστὰς] .... ubi verbum νικήσας post Ἀθηναῖος supplendum esse videtur. choragiae quoque institutum, quod Deli fuisse praeter titulos antea adlatos multi alii posterioris aetatis demonstrant[2]), sine dubio ad antiquiora quoque tempora licet referre. atque haec et alia Atheniensibus auctoribus facta esse quam maxime veri simile est.

In Ceo insula antiquitus poesim choricam viguisse iam antea vidimus. ac post Simonidem hic versatum esse Bacchylidem chorosque docuisse satis veri simile est; neque inepte huc referendum esse coniecerunt huius epigramma (fr. 48 B. Anth. VI 313):

Κούρα Πάλλαντος πολυώνυμε πότνια Νίκα
πρόφρων Κραναϊδῶν ἱμερόεντα χορὸν
αἰὲν ἐποπτεύοις, πόλεας δ' ἐν ἀθύρμασι Μουσᾶν
Κηΐῳ ἀμφιτίθει Βακχυλίδῃ στεφάνους.

in cuius versu altero pro Κραναιδῶν (Meineke), quod stare nequit (cf. Bergk l. c., Wilamowitz Herm. XX 70 adn. 1), probabiliter Bergk et Hecker Καρθαιέων scribendum esse censuerunt. ac sine dubio epigramma ad certamina chorica spectat, quibus Bacchylides interfuit. Carthaeae autem in primis Apollinis cultus florebat. certe Pythia Carthaeae acta virginumque chori in populari illa narratione commemorantur, quam memoriae tradidit Anton. Liberalis Met. 1.

---

[1]) Tituli sunt annorum 286. 284. 282. 281. 270. 267. 265. 261 .... 203, ad quos nunc accedit titulus anni 172, quem edidit P. Paris Bull. de corr. hell. VIIII 147 sq.; sollemnia igitur illa quotannis commissionibus musicis celebrabantur.

[2]) cf. titulum, quem edidit S. Reinach (Bull. de corr. hell. VII 370), supplevit Dittenberger (Histor. u. philol. Aufsätze Ernst Curtius gewidmet 1884 p. 301):

Πάντα χορηγήσας Πρ[επ]εφ|ήμ]ου παῖς Κριτόδημος
πάντα δὲ νικήσας ΑΝ ... ΤΟ .. Ξ ἀνέθηκε.

cf. etiam titulum Bull. de corr. hell. VI 74 sq.

neque solum ad Apollinis Deliaci sollemnia choros miserunt Carthaeenses, sed etiam domi puerorum virorumque chori a choragis ornabantur. sic in titulo saeculo quarto exeunti adsignando, quem nuper edidit Halbherr (Mus. ital. di antich. class. I, 2 p. 207 sq. l. 48) haec legimus: π)αρὰ χορηγοῦ | τῶν ἀνδρῶν | Ἀρετᾶνος τὸν | στέφανον ἐλά|βομεν: H, παρὰ χορηγοῦ | τῶν παίδων | Δεξιθέου τ(ὸν) | στέφανον ἐ(λά)|βομεν: H; cf. CIG 2363.

Minoribus quoque in insulis hac aetate choragiae institutum valuisse Siphni exemplum demonstrat; cf. Isocr. XVIIII 36. inde veri simile est etiam in ceteris insulis sollemnia illa, quae posteriore aetate his locis celebrata esse cognovimus, quinto quartoque saeculo commissionibus musicis ornata fuisse, dico Dionysia Imbri Andri Naxi Coi Astypalaeae Pari [1]) Syri Amorgi [2]) Teni aliisque in insulis, Posidonia Teni, alia [3]). in primis autem in eis insulis, quae artiore vinculo cum Athenis coniunctae erant veluti Imbri et Lemni dies festos Dionysiorum Atticorum modo celebratos esse consentaneum est. sic Hephaestiae in insula Lemno coronas a populo decretas Διονυσίων τραγῳδῶν τῷ ἀγῶνι καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ἀγῶσιν οὓς ἡ πόλις τίθησι renuntiatas esse scimus ex titulo saeculi tertii (CIA II 592), sic Myrinae in oppido eiusdem insulae cives saeculo quarto decernunt ἀνειπεῖν τὸν κήρυκα Διονυσίων τῷ ἀγῶνι τραγῳδοῖς ὅτι ... στεφανοῦσι (Bull. de corr. hell. 1885. p. 49 et 54 n. 3) [4]).

In L e s b o insula Mytilenaeorum magna sollemnia in honorem Ἀπόλλωνος Μαλόεντος celebrata esse ex Thucydidis testimonio (III 3)

---

[1]) In duobus titulis Pariis quinto a. Chr. saeculo non recentioribus προεδρία decernitur (Ross Inscr. ined. II 147. 148.).

[2]) In titulo Minoae urbis, qui Ptolemaei III. temporibus exaratus est, corona pronuntiatur ἐν τῷ θεάτρῳ τῷ ἀγῶνι τῶν αὐλητῶν τοῖς Ἑκατομβίοις (Mitth. d. d. arch. Inst. I 337), eadem aetate agonothetae, choragi, ἀγῶνες θεατρικοὶ commemorantur in titulo Aegialensi (l. c. p. 339 n. 8).

[3]) Congesta sunt nonnulla de insularum sollemnibus ab C. F. Hermanno Gottesd. Altert.[2] § 65, quae collectio hodie quidem nullo modo satisfacere potest, neque in eis, quae adferuntur, ullum temporum discrimen factum est.

[4]) In Thaso iam Hippocratis temporibus theatrum extitisse dicunt coll. Hippocrat. Epid. I 2; cf. autem Wieseler l. c. p. 195 adn. 70. in titulo in insula Calymna reperto laudatur Aratocritus quidam, quod aedificium extructurum se promiserit ὅπως τοὶ με(λικοὶ κ)αὶ χορικοὶ ἀγῶνες συντελῶνται τοῖς τε θεοῖς καὶ τοῖς εὐεργέταις (Newton Inscr. of. the Brit. Mus. II CCXXXI). sed nolo hic omnia eius generis testimonia, quae ad posteriorem aetatem spectant, congerere.

comperimus, et choragias quoque quinto saeculo Mytilenaeos praestitisse demonstrare videntur verba illius, qui Antiphontis orationem περὶ τοῦ Ἡρῴδου φόνου dixit §. 77: οὐκ ἔστιν, ὅτι οὐ πεποίηται τῶν δεόντων.... οὐδ' ἥστινος λειτουργίας ἡ πόλις ἐνδεὴς γεγένηται, οὔτε ἡ ὑμετέρα πόλις οὔτε Μυτιληναίων· ἀλλὰ καὶ χορηγίας χορηγεῖ καὶ τέλη κατατίθησιν. ad Antissaeorum Dionysia splendido modo celebrata Boeckhio auctore (Staatshaush. I 295 adn. c.) Aristotelis narratio (Oec. II 2, 6) referenda esse videtur. quando autem Mytilenis ille πάτριος ἀγὼν τῶν ποιητῶν institutus sit, quem Pompeius in theatro spectavit (Plut. Pomp. 42), ignoratur[1]. sed in insula Samo eius modi certamen in Heraeis iam belli Peloponnesiaci temporibus in usu fuisse videtur; cf. Plut. Lys. 18: Σάμιοι δὲ τὰ παρ' αὐτοῖς Ἡραῖα Λυσάνδρια καλεῖν ἐψηφίσαντο... Ἀντιμάχου δὲ τοῦ Κολοφωνίου καὶ Νικηράτου τινὸς Ἡρακλεώτου ποιήμασι Λυσάνδρια διαγωνισαμένων ἐπ' αὐτοῦ τὸν Νικήρατον ἐστεφάνωσεν. fieri tamen potuit, ut illud certamen in Lysandri demum honorem ceteris agonibus additum sit.

Chiorum Dionysia commemorantur Aen. Tact. 17, παίδων χοροὶ in titulo saeculo tertio ineunti adscribendo (Bull. de corr. hell. V 300). multarum praeterea aliarum insularum commissiones musicas ex titulis saeculi III. et II. cognovimus, quas hic, ubi de antiquioribus dissero temporibus, adferre nolo, cum nesciamus, utrum iam liberae Graeciae aetate actae sint an diadochorum demum temporibus, regum Pergamenorum in primis et Ptolemaeorum curis, institutae sint. veluti urbium Creticarum tituli, in quibus varia sollemnia et theatra commemorantur, tertio saeculo non antiquiores sunt. ceterum iam antea in hac insula chororum commissiones habitas esse ex eis intellegitur, quae de puerorum educatione narrantur (cf. Strabo X 482, 484). in titulis urbium Rhodiarum saepe commemorantur et choragia[2]) et proedria in spectaculis; ac iam saeculi quarti parte priore Rhodi in urbe artifices musicos in theatrum prodiisse demonstrat Stratonici citharistae exemplum; cf. Ath. VIII 350 b: ἐν Ῥόδῳ δ' ἐπίδειξιν ποιούμενος, ὡς

---

[1]) In insula Pordoselena populus decreto inter annos 319 et 317 facto statuit: στεφανώτω δὲ αὖτον ὁ χοροστάτας ἄϊ ὁ ἐν[έων] ἐν τῷ ἄγωνι (Cauer l. c. 429, Hicks l. c. 139).

[2]) Ross Inscr. ined. 279 (saec. III) 278, Hellen. II 114 n. 47, Bull. de corr. hell. VIIII (1885) p. 112 n. 12, Archäolog. epigr. Mitth. a. Oesterr. VII 111, alia.

οὐδεὶς ἐπεσημήνατο, καταλιπὼν τὸ θέατρον ἐξῆλθεν...[1]). in primis autem dignitate excellebat Ἠλείων ἀγών, in quo musicis quoque certaminibus locum fuisse docet titulus saeculo quarto exeunte scriptus (Eph. arch. ser. II 221). in insula Cypro, quam saeculo tertio sedem artificum Dionysiacorum fuisse videmus[2]), reges inde ab Euagorae temporibus musicis Graecis favisse videntur (cf. Isocr. Euag. 50), etsi nonnumquam eos ad se invitatos asperius tractaverant. ita Dorio tibicen Nicocreontis amicitia usus est (Ath. VIII 337e), Stratonicus citharista apud Nicoclem versatus ac multis donis ornatus tamen postea ab hospite interfectus est (Ath. VIII 352 d).

Idem, quod de insularum certaminibus dixi, valet etiam de Asiae minoris diebus festis. communia illa Ionum sollemnia, Πανιώνια dico, bellorum ut videtur Persicorum aetate Ephesum translata sunt (Diodor. XV 49), qua in urbe magno cum splendore certamina celebrata esse videntur; cf. Thuc. III 104: (in Delon insulam) ξύν τε γὰρ γυναιξὶ καὶ παισὶν ἐθεώρουν, ὥσπερ νῦν ἐς τὰ Ἐφέσια Ἴωνες, καὶ ἀγὼν ἐποιεῖτο αὐτόθι γυμνικὸς καὶ μουσικός, cf. Dion. Halic. IIII 25. praeter Ἐφέσια in Dianae honorem acta Dionysia quoque Ephesi spectaculis celebrata esse tituli demonstrant, quibus coronas publice decretas modo Ἐφεσείοις ἐν τῷ θεάτρῳ (Hicks Hist. inscr. 151, a. 300 a. Chr.) modo Διονυσίοις ἐν τῷ θεάτρῳ (Hicks l. c. 150, a. 302 a. Chr.) pronuntiatas esse docemur. Ephesios „dedicato templo Dianae“ praemiis propositis poetarum certamen in honorem Dianae instituisse Macrobius narrat (V 22), in quo Timotheum mille aureorum praemium reportasse Alexandri Aetoli versus a Macrobio citati testantur. citharoedorum ἐπιδείξεις Ephesi saepius habitas esse etiam e Machonis versibus (Ath. VIII 349 e) colligere possumus. Smyrnaeos iam antiquissimis temporibus in Bacchi honorem dies festos egisse docet Herod. I 150; Milesiorum Dionysia commemorantur a Diodoro XIII 104 (ol. 93, 4)[3]), in vicinia Mileti Διδύμεια vetustissima in Apollinis honorem agebantur (cf. Paus. VII 2, 4), quorum agones et agonothetae in

---

[1]) Fugit hic locus viros doctos (Welckerum l. c. p. 1296, Wieselerum l. c. p. 191 adn.), cum theatrum a. demum 316 (Diodor. XVIII 45) primum commemorari dixerunt. adde quod theatri huius mentio praeterea fit Plut. Dem. 21, quem locum item uterque neglexit.

[2]) CIG 2619. 2620, Le Bas-Waddington l. c. 2793. 2794, L. Palma de Cesnola Cyprus (1877) p. 413 n. 2.

[3]) Tituli choragici Mileti servati sunt CIG 2868, Rev. arch. XXVIII 108.

titulis posterioris aetatis saepius nominantur (CIG 2881 sq.). Erythraei a. 394 Cononi (Le Bas Asie min. 39, Hicks. l. c. 70), intra annos 357—55 Maussollo (Le Bas. l. c. 40, Dittenberger Syll. 84) προεδρίην ἐν Ἐρυθρῆσιν decreverunt. Teiorum sollemnia cognovimus e titulo illo vetustissimo, quo exsecrationis formulae continentur (CIG 3044, Roehl IGA 497, Hicks l. c. 36, Cauer Del.[2] 480), olympiade 76 aut 77 scripto (Kirchhoff Studien z. griech. Alphab.[3] p. 12 sq.) l. 30 sq.: οἵτινες τιμουχέοντες τὴν ἐπαρὴν μὴ ποιήσειαν ἐπὶ δυνάμει, καθημένου τὠγῶνος Ἀνθεστηρίοισιν καὶ Ἡρακλείοισιν καὶ Δίοισιν ἐν τῃπαρῇ ἔχεσθαι. Prienenses Alexandri temporibus decernunt: στεφανῶσαι Νύμφωνα Πρωτάρχου [τοῖς πρώτοις? Διονυ]σίοις τῷ ἀγῶνι τῶν τραγῳδῶν (Hicks Journ. of hell. stud. IIII 237).

Mylasarum urbis πανήγυριν, quae ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς τοῦ Λαμβραύνδου celebrabatur, cognovimus e titulo anni 355/4 (CIG 2691e, Froehner Inscr. du Louvre n. 97, Dittenberger Syll. 76, Hicks Hist. inscr. 101). Halicarnassi, quo Maussollus sedem regni sui transtulerat, post Maussollum mortuum Artemisiam in eius honorem oratorum poetarumque Graecorum certamen instituisse scimus (cf. Welcker l. c. p. 1079 sq.). in primis autem in Cariae urbibus certe inde ab Alexandri aetate agones chorici viguisse videntur. ita in titulo Halicarnasseo Coi reperto (Bull. de corr. hell. V 212) incertae aetatis (saec. III.?) legimus: ἀναγγεῖλαι τὸν στέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ, ὅταν ἡ πόλις πρῶτον ἄγῃ χορικοὺς ἀγῶνας τῇ δεύτερον ἡμέρᾳ τῶν κυκλίων, et in titulo Iasensium (CIG 2671, Hicks l. c. 130) agonotheta Alexandri temporibus coronam quandam ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίοις κυκλίων τῇ πρώτῃ renuntiare iubetur.

In septentrionalis quoque Asiae minoris urbibus Graecis commissiones musicas habitas esse inde colligi potest, quod iam quarto saeculo Heracleae, in urbe Bithyniae, et Abydi theatra commemorantur (Diog. Laert. V 91, (Arist.) Mirab. auscult. p. 832 B.).

Caput IV.

De certaminibus musicis, quae in Graecia ipsa inde ab Alexandri temporibus usque ad Augusti aetatem celebrabantur.

Alexandri aetate ut omnes populorum Graecorum condiciones quam maxime immutatae sunt, sic in artibus musicis colendis multa aliter instituta esse consentaneum est. etenim multae quae antea primas egerant partes urbes de fastigio recesserunt, aliae antea ignobiles aut hac demum aetate conditae magis magisque florere coeperunt ac primarium occupaverunt locum. sed iam non illa quae antea vigebant studia liberalia conspiciuntur; immo artes musicae opes secuntur, artifices musici regum adliciuntur donis et favore. neque iam Athenae ut antea ceteris urbibus exemplo sunt: atque Graeciae quae proprie dicitur auctoritate imminuta res summae in Macedonia Asia Aegypto decernuntur in diadochorum qui vocantur regiis. huc igitur poetae et musici confluunt, qui iam multo magis quam antea terras mariaque ad sollemnia visitanda pervagari solent. quae res optime illustratur titulo in theatro Dionysiaco reperto (ed. Rhusopulos Ephem. arch. ser. II 221), quem nuper tractavit Koehler Mus. Rhen. XXXVIIII 298. est lapis tribus in lateribus inscriptus ita, ut nomen ipsius artificis maioribus litteris exaratum sit, singulorum sollemnium nomina in coronis posita:

I (in fronte) Νικοκλῆς Ἀριστοκλέους

Παναθήναια
τὰ μεγάλα·

Πύθια Πύθια Πύθια· Πύθια Πύθια Πύθια·

Λήναια
διθυράμβῳ·

II
Βασίλεια ἐν Ἀλεξανδρείᾳ | Ἡλίεια | Βασίλεια | Ἀσκληπίεια

III ... ιεια[1]) Ἑκατόμβοια | Ἴσθμια πρῶτος | Βασίλεια ἐν Μακεδονίᾳ.

hunc Nicoclem exeunte saeculo quarto vixisse eundemque esse ac Nicoclem Tarentinum citharoedum[2]), cuius sepulcrum Pausanias commemorat (I 37, 2: καὶ Νικοκλέους Ταραντίνου ἐστὶ μνῆμα, ὃς ἐπὶ μέγιστον δόξης κιθαρῳδῶν ἁπάντων ἦλθεν), acute demonstravit Koehler[3]). is igitur non modo Graeciae musicis certaminibus fere omnibus interfuit, sed in Macedonia quoque, in Aegypto et Rhodo praemia sibi quaesivit. neque vero posteriore aetate in Graecia certamina musica celebrari desierunt, immo numerus agonum potius auctus quam imminutus esse videtur; sed vetus ille deerat splendor, aberat dignitas illa nobilis: iam enim praeterierant tempora, quibus summi poetae, ingeniosissimi musici artes suas ad summum gradum excoluerant. incipit iam aurea artificum Dionysiacorum qui dicuntur aetas, eos dico, qui non tam ingenio, quam dexteritate quadam excellebant vitamque degebant in certaminibus musicis obeundis praemiisque reportatis alebantur. hos, cum artem suam ad mercedem quaestumque abduxissent, societates inire consentaneum erat, ut de communibus rebus coniuncti consulerent et consociati ad certamina irent[4]). atque ita explicandum est, quod inde ab Alexandri aetate in omnibus fere vel minorum urbium certaminibus omnibus artium musicarum generibus locum fuisse videmus, cum

---

[1]) Ἡλίεια, ut videtur, supplendum est.

[2]) Hac quoque aetate citharoedi, ut saeculo antea Timotheus Milesius, dithyrambos quoque docuerunt.

[3]) Idem docuit filium huius Nicoclis esse Aristoclem illum citharoedum, cui quam maxime Antigonum Gonnatam favisse Antigonus Carystius testatur (Ath. XIII 603 e: Ἀντίγονος . . . ἔπεισεν αὐτὸν συγκωμάσαι αὐτῷ πρὸς Ἀριστοκλέα τὸν κιθαρῳδόν, οὗ σφόδρα ἤρα ὁ βασιλεύς, cf. Diog. Laert. VII 13, Wilamowitz Antigonos p. 117). huius Aristoclis discipulum Timonem idem Antigonus Carystius commemorat Hist. mir. 169 (Wilamowitz l. c. p. 23).

[4]) Egerunt de artificum Dionysiacorum collegiis Foucart De collegiis scaenicorum artificum apud Graecos (1873), Lüders Die dionysischen Künstler (1873), Sauppe Comment. de coll. artific. scaenic. Attic. (Ind. schol. aestiv. Gotting. 1876). sed ultimis his annis tituli haud pauci reperti sunt, quorum auxilio certius de rebus quibusdam iudicium proferre possumus. nolo autem hoc loco singula accuratius tractare satisque habeo ea, quae ad agonas spectant, breviter tetigisse.

antea nisi in summis Graecorum sollemnibus variae commissiones musicae coniunctae non fuissent. etenim invitabantur eius modi collegia ad certamen aliquod agendum et mittebantur deinde ab eis singuli sodales, tragoedi comoedi praecones tubicines citharistae citharoedi [1]) alii multi, quorum nonnulli poetae quoque nomine gloriabantur. et cum iam medio saeculo quarto histriones magna auctoritate floruisse videamus ceterosque Dionysiacos qui dicuntur artifices aliquo modo inter se consociatos fuisse veri simile sit, summa incrementa artificum collegia inde ab Alexandri demum aetate cepisse videntur. atque Alexander ipse quam maxime favebat commissionibus musicis [2]); cf. Plut. Alex. 4: φαίνεται δὲ καὶ καθόλου πρὸς τὸ τῶν ἀθλητῶν γένος ἀλλοτρίως ἔχων πλείστους γέ τοι θεὶς ἀγῶνας οὐ μόνον τραγῳδῶν καὶ αὐλητῶν καὶ κιθαρῳδῶν ἀλλὰ καὶ ῥαψῳδῶν.., eiusque in primis exemplo mos invaluit, ut victoriae reportatae aliique felices eventus certaminibus gymnicis musicisque celebrarentur. ita post Thebas captas, antequam in Asiam transgrederetur, Dii agonas in Iovis Musarumque honorem magno cum splendore instauravit [3]). celeberrima deinde fuerunt certamina, quae ex Aegypto reversus Tyri instituit; cf. Plut. Alex. 29, de Alex. fort. II 2 [4]). accuratius praeterea edocti sumus de sollemnibus, quibus nuptias Susis celebravit. narrat enim Chares ἐν τῇ δεκάτῃ τῶν περὶ Ἀλέξανδρον ἱστοριῶν (Ath. XII 538 e): θαυματοποιοὶ δὲ ἦσαν διαπρέποντες, Σκύμνος Ταραντῖνος καὶ Φιλιστίδης Συρακόσιος Ἡράκλειτός τε ὁ Μυτιληναῖος, μεθ' οὓς ἐπεδείξατο

---

[1]) cf. tit. Le Bas-Waddington As. min. 281 (Lüders l. c. p. 181 n. 91). in titulo nuper Ptolemaide in Aegypto reperto, qui Ptolemaei Philadelphi aetate exaratus est (Bull. de corr. hell. 1885 p. 132 sq.), sodales collegii Dionysiaci enumerantur praeter poetas et histriones: κιθαρῳδός, κιθαριστής, ὀρχηστής, χοροδιδάσκαλος, αὐλητὴς τραγικός, σαλπικτής.

[2]) Welcker l. c. p. 1239 sq., Lüders l. c. p. 105 sq.

[3]) Diodor. XVII 16: θυσίας μεγαλοπρεπεῖς τοῖς θεοῖς συνετέλεσεν ἐν Δίῳ τῆς Μακεδονίας καὶ σκηνικοὺς ἀγῶνας Διὶ καὶ Μούσαις, οὓς Ἀρχέλαος πρῶτος κατέδειξεν· τὴν δὲ πανήγυριν ἐφ' ἡμέρας ἐννέα συνετέλεσεν, ἑκάστῃ τῶν Μουσῶν ἐπώνυμον ἡμέραν ἀναδείξας, Arr. An. I 11, 1: τῷ Διὶ τῷ Ὀλυμπίῳ τὴν θυσίαν . . . ἔθυσε καὶ τὸν ἀγῶνα ἐν Αἰγαῖς διέθηκε τὰ Ὀλύμπια. Welckerum (p. 1277 adn. 87), quem Lüders secutus est (p. 105 adn. 212), iniuria Arriani narrationem Diodori verbis praetulisse demonstravit Wieseler p. 196 adn. 73. neque vero verba ἐν Αἰγαῖς mutanda sunt in ἐν Δίῳ τῆς Πιερίας, sed Arriani error statuendus.

[4]) ἀγῶνες χορῶν ab Alexandro instituti praeterea commemorantur a Plutarcho Alex. 67.

ῥαψῳδὸς Ἄλεξις Ταραντῖνος· παρῆλθον δὲ καὶ ψιλοκιθαρισταί, Κρατῖνος Μηθυμναῖος, Ἀριστώνυμος Ἀθηναῖος, Ἀθηνόδωρος Τήιος· ἐκιθαρῴδησάν τε Ἡράκλειτός τε ὁ Ταραντῖνος καὶ Ἀριστοκράτης ὁ Θηβαῖος· αὐλῳδοὶ δὲ παρῆλθον Διονύσιος ὁ Ἡρακλεώτης, Ὑπέρβολος Κυζικηνός· παρῆλθον δὲ καὶ αὐληταί, οἳ πρῶτον τὸ πυθικὸν ηὔλησαν, εἶθ' ἑξῆς μετὰ τῶν χορῶν Τιμόθεος, Φρύνιχος, Καφισίας, Διόφαντος, ἔτι δὲ Εὔιος ὁ Χαλκιδεύς· καὶ ἔκτοτε οἱ πρότερον καλούμενοι Διονυσοκόλακες Ἀλεξανδροκόλακες ἐκλήθησαν, διὰ τὰς τῶν δώρων ὑπερβολάς, ἐφ' οἷς καὶ ἥσθη ὁ Ἀλέξανδρος. ὑπεκρίθησαν δὲ τραγῳδοὶ μὲν Θεσσαλὸς καὶ Ἀθηνόδωρος καὶ Ἀριστόκριτος, κωμῳδοὶ δὲ Λύκων καὶ Φορμίων καὶ Ἀρίστων· παρῆν δὲ καὶ Φασίμηλος ὁ ψάλτης. (cf. Ael. V. H. VIII 7). similibus spectaculis saepius post magnos peractos labores militum animos relaxare studuit Alexander (cf. Arr. Anab. II 5, 8, III 6, 1, VI 28, 3, VII 14, 10). atque extremis vitae suae diebus Ecbatanis splendidissima instituit certamina, ad quae celebranda tria milia artificum ex Graecia convenerunt[1]).

Alexandri exemplum qui ei successerunt in singulis terris reges secuti sunt. ita Cassander ol. 116, 2 (315 a. Chr.) Nemeorum in sollemnibus ipse agonothetae munere functus est (Diodor. XVIIII 64), Antigonus ol. 119, 3 (302 a. Chr.) Antigoneis magnos agonas instauraturus πάντοθεν ἀθλητάς τε καὶ τεχνίτας τοὺς ἐπιφανεστάτους ἐπὶ μεγάλοις ἄθλοις καὶ μισθοῖς ἠθροίκει· ὡς δ' ἤκουσε τὴν Λυσιμάχου διάβασιν καὶ τῶν στρατηγῶν τὴν ἀπόστασιν, τὸν μὲν ἀγῶνα διέλυσε, τοῖς δ' ἀθληταῖς καὶ τοῖς τεχνίταις ἀπέδωκε μισθοὺς οὐκ ἐλάττους διακοσίων ταλάντων (Diodor. XX 108). Demetrius Poliorcetes Argis Heraeorum sollemnibus praesedit, cum Deidamiam uxorem duxit (Plut. Demetr. 25), atque ol. 122, 3 (290 a. Chr.) Delphis ab Aetolis occupatis ipse Athenis Pythiorum sollemnia celebravit (Plut. Demetr. 40[2])). Ptolemaeos quoque eorumque in numero in primis Philadelphum in Aegypto more Graeco certamina musica instituisse et artificibus Dionysiacis quam maxime favisse satis constat[3]).

---

[1]) Numerum artificum et Arr. An. VII 14 et Plut. Alex. 72 tradiderunt, in ceteris rebus non plane inter se consentientes.

[2]) τῶν δὲ Πυθίων καθηκόντων πρᾶγμα καινότατον ἐπέτρεψεν αὑτῷ ποιεῖν ὁ Δημήτριος· ἐπεὶ γὰρ Αἰτωλοὶ τὰ περὶ Δελφοὺς στενὰ κατεῖχον, ἐν Ἀθήναις αὐτὸς ἦγε τὸν ἀγῶνα καὶ τὴν πανήγυριν, ὡς δὴ προσῆκον αὐτόθι μάλιστα τιμᾶσθαι τὸν θεόν, cf. Bergk PLG[4] III p. 674.

[3]) cf. Ath. VII 276 b, Theocr. XVII 112 sq., Vitruv. de arch. VII praef. 4: 'Ptolemaeus ... Musis et Apollini ludos dedicavit et quemadmodum

Necesse igitur erat certis legibus stabiliri illas artificum societates, ut semper parati essent ad subeunda certamina aliqua de causa instituta. inde a tertii saeculi initio vix ullus erat poeta aut musicus aut histrio, qui non collegio cuidam artificum adscriptus esset. quorum collegiorum primum Athenis institutum esse satis veri simile est[1]; tertio saeculo in Asia minore[2], in Aegypto, in Cypro[3] similia inveniuntur collegia; initio alterius saeculi primum nominatur collegium τῶν ἐν Ἰσθμῷ καὶ Νεμέᾳ τεχνιτῶν[4]. ac minora etiam in singulis urbibus sodalicia extiterunt[5], quae nonnumquam maiorum collegiorum partes fuisse videntur. itaque ubique fere, ubi certamina musica hac aetate celebrata esse dicuntur, artifices Dionysiaci commemorantur, ita ut raro singuli poetae et musici, qui casu convenerant, plerumque sodales unius collegii, nonnumquam plurium quoque collegiorum

athletarum sic communium scriptorum victoribus praemia et honores constituit'. pompam Dionysiacam Callixenus Rhodius ἐν τῷ τετάρτῳ περὶ Ἀλεξανδρείας describit (Ath. V 198 b), in qua ἐπορεύετο Φιλίσκος ὁ ποιητὴς ἱερεὺς ὢν Διονύσου καὶ πάντες οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται. quantum haec collegia tota Aegypto floruerint, demonstrant tituli τεχνιτῶν τῶν περὶ τὸν Διόνυσον καὶ θεοὺς ἀδελφοὺς Ptolemaide reperti (Bull. de corr. hell. 1885 p. 132 et 140), in quorum priore collegii sodales enumerantur hi: τραγῳδιῶν ποιηταὶ duo, κωμῳδιῶν π. duo, ἐπῶν π. tres, κιθαρῳδός, κιθαριστής, ὀρχηστής, τραγῳδός, κωμῳδοὶ sex, συναγωνισταὶ τραγικοὶ quattuor, χοροδιδάσκαλος, ... αὐλητὴς τραγικός, σαλπικτής, σκευοποιός.

[1]) Sauppe l. c. p. 4 veri simile putat iam medio saeculo quarto artifices Athenienses sodalicio aliquo coniunctos fuisse. primum οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται Athenis ita, ut collegium eorum extitisse colligas, nominantur in conclamato illo Amphictyonum decreto CIA II 551 (paucis ut Koehlero videtur annis post 279 scripto).

[2]) Lüders l. c. p. 75 sq.; τὸ κοινὸν τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν τῶν ἐπ' Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου (CIG 3067, Lüders p. 177 n. 83, Froehner Inscr. d. Louvre n. 67), cum Eumenis temporibus Delphicis Thespiacis Thebanis ludis interfuisse dicatur, sine dubio iam diu Tei vigebat, antequam ad certamina in Graecia obeunda invitaretur.

[3]) De artificibus Aegyptiis cf. p. 74 adn. 3, de Cypriis p. 69 adn. 2.

[4]) CIG 3068 C (Lüders p. 180 n. 86); cf. CIA II 552 b, Le Bas-Foucart Voy. II 116 a, Ephem. arch. ser. II (1874) 443, Bull. de corr. hell. IV 335. incerta sunt, quae leguntur in titulis CIG 1689 (Le Bas II 842), Keil Syll. p. 80 (Le Bas II 504).

[5]) τὸ κοινὸν τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν τῶν ἐν Θήβαις commemoratur in titulo posterioris aetatis CIG 1600 (Mitth. d. d. arch. Inst. III 139, Kaibel Epigr. Graec. 876), τὸ κοινὸν τῶν τεχνιτῶν τῶν ἐν Ἀ[θήναι]ς CIA II 552 c.

artifices in certaminibus inter se de praemiis propositis certasse videantur.

Quae autem de huius aetatis agonibus cognovimus, ea fere omnia lapidibus debemus. et de Atheniensium Delphorum Boeotorum sollemnibus nonnulla accuratius comperta habemus, quae mox coniuncta propositurus sum. antea autem necesse videtur, ut breviter enumerem, quae de ceteris Graeciae quae proprie dicitur regionibus comperimus.

Spartani igitur inviti artifices Dionysiacos tolerasse videntur, quamquam maiorem eorum partem minime a spectaculis alienos fuisse certum est; cf. Plut. Cleom. 12: ἐμβαλὼν οὖν εἰς τὴν Μεγαλοπολιτικὴν ὠφελείας μεγάλας ἤθροισε.... τέλος δὲ τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον τεχνίτας ἐκ Μεσσήνης διαπορευομένους λαβὼν καὶ πηξάμενος θέατρον ἐν τῇ πολεμίᾳ καὶ προθεὶς ἀπὸ τεσσαράκοντα μνῶν ἀγῶνα μίαν ἡμέραν ἐθεᾶτο καθήμενος, οὐ δεόμενος θέας ἀλλ' οἷον ἐντρυφῶν, Ael. de nat. anim. XI 19: Παντακλῆς ὁ Λάκεδαιμόνιος ἀναστείλας διὰ τῆς Σπάρτης ἐλθεῖν τοὺς ἐς Κύθηρα ἀπιόντας τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν, εἶτα κάθήμενος ἐν τῷ ἐφορείῳ ὑπὸ κυνῶν διεσπάσθη. ex priore loco simul comperimus Messenae saeculo tertio exeunte artifices musicos ludos edidisse; Aeliani loco eadem de Cythera insula edocemur. Gythei agones commemorantur in titulo saeculi primi parte priore scripto, cf. Le Bas-Foucart II 242*a* (Dittenberger Syll. 255). in notissima inscriptione, quae ad mysteria prope Andaniam habita spectat (Le Bas-Foucart II 326*a*, Dittenberger Syll. 388), l. 68 θέατρον, l. 29 ἀγωνοθέτας commemoratur et l. 73 haec imperantur: τεχνιτᾶν εἰς τὰς χοριτείας· οἱ ἱεροὶ προγραφόντω κατ' ἐνιαυτὸν τοὺς λειτουργήσοντας ἔν τε ταῖς θυσίαις καὶ μυστηρίοις αὐλητὰς καὶ κιθαριστάς, ὅσους κα εὑρίσκωντι εὐθέτους ὑπάρχοντας..; cf. l. 98. titulum Phigaliensium, quem post Foucartium (Le Bas-Foucart II 329) plenius edidit Dittenberger Syll. 392, propter Dionysia (cf. Ath. IIII 148 f) et Ἀνδρίνεια quaedam in eo commemorata hoc loco praetereundum non esse putabam. Tegeae in Arcadia ἀγὼν τῶν Ἀλεαίων fuisse traditur (Ross Arch. Aufs. II 668, Le Bas-Foucart II 341 *b*, coll. Paus. VIII 47, 3 et CIG 1515). ad alios Tegeatarum agonas spectant CIG 1513, 1514 (Newton Inscr. of the Brit. mus. CLVI). Megalopoli Philopoemen mortuus certaminibus institutis et hymnis quotannis cantatis honorabatur; cf. Diodor XXVIIII 18: ἡ πατρὶς.... τῆς ἀρετῆς ἐγκώμιά τε καὶ ὕμνους κατέδειξεν ᾄδειν τοὺς νέους (cf. Sauppe Götting. Nachr. 1864 p. 204, CIG 1536, Le Bas-Foucart

II 331, Dittenberger Syll. 210). quanto studio in omnibus Arcadiae urbibus poesis chorica culta sit, testatur Polybius IIII 20, 8 sqq. Elei in titulo quodam post Alexandri aetatem scripto (Arch. Zeit. XXXIII 183 sq. n. 4) Damocrati Tenedio decernunt προεδρίαν ἐν τοῖρ Διονυσιακοῖρ ἀγώνοιρ.

Iam vero antequam ad Argolidis urbes transeam, iterum pauca de Isthmiorum et Nemeorum celebratione praemittenda sunt, quae hac aetate non modo gymnica et equestria, sed musica quoque fuisse certis testimoniis evincitur. neque vero ante Alexandri aetatem has commissiones musicas additas esse puto. in titulo enim antea commemorato, quo enumerantur Nicoclis citharoedi victoriae, haec quoque verba leguntur: Ἴσθμια πρῶτος. quae verba nullo modo ita possunt explicari, ut statuit Breuer l. c. p. 13, cum diceret: 'verba Ἴσθμια πρῶτος hoc quidem in festo plures coronam accepisse docent'; nam in Panathenaeis quoque plura praemia proposita fuisse scimus, neque veri simile est Pythiorum certamina musica minus magnifice acta esse quam Isthmia; attamen victoriis ibi reportatis talis nota in hoc titulo addita non est. accedit, quod, etsi plura praemia constituta sunt in certamine quodam, tamen semper unus solus nominatur victor, eum dico, qui summum praemium reportavit. πρῶτος ἦν enim idem est atque ἐνίκα (cf. Madvig Kl. phil. Schr. p. 450); qui autem secundum obtinet locum, habet quidem, quo consoletur se, sed victoriae gloria non fruitur. homini igitur Graeco numquam id in mentem venit, ut victoriis suis numeros πρῶτος, δεύτερος hoc sensu adscriberet; nam cum vicit, πρῶτος ἐγένετο: si δεύτερος, non vicit. quae cum ita sint, verba Ἴσθμια πρῶτος, ita tantum explicari posse videntur, ut Nicoclem omnium hominum primum citharoedia in Isthmiorum sollemnibus vicisse statuamus primumque in Isthmiis citharoediae certamen illud fuisse, in quo Nicocles et certavit et vicit. ita Iasensis quidam CIG 2682 dicitur νικήσας τὴν περίοδον ἀνδρῶν δόλιχον καὶ τὰ ἐν Ῥώμῃ Καπετώλια πρῶτος ἀνθρώπων: primus scilicet vicit in certaminibus Capitolinis a Domitiano a. 86 p. Chr. institutis (cf. Boeckh CIG III p. 751 *b*); cf. etiam CIA III 129. iam cum Nicoclis titulus, qui aut post Nicoclis mortem aut post magnam quandam eius victoriam positus est, ex Koehleri iudicio a. fere 310 scriptus sit, victoriae autem ab eo reportatae eum plus viginti annos certaminibus interfuisse demonstrent (sex enim eius victoriae Pythicae enumerantur), intra annos 340 (aut 350) et 310 a. Chr. citharoedorum certamina ceteris Isthmiacis agonibus addita esse necesse est. cum porro pro certo adfirmari possit Co-

rinthios citharoediam non exclusuros fuisse, si alia certaminum musicorum genera admisissent[1]), omnino agonas musicos non ante medium saeculum quartum in sollemnibus Isthmiacis habitos esse statuere possumus[2]).

Ad aetatem, qua prima Nemeae certamina musica habita sint, definiendam nullum nobis praesto est indicium. certe in Nicoclis illius victoriarum indice Nemea non nominantur, sive quia illa aetate in eis ludis citharoedorum agones nondum in usu erant, sive quia casu aliquo artifex ille praeclarissimus numquam in eis victoriam reportavit. prima autem musicarum in Nemeis commissionum mentio fit saeculo tertio exeunte, eo tempore, quo Philopoemen iterum summo magistratu fungebatur[3]), cf. Plut. Philop. 11 et Paus. VIII 50, 3: μετὰ δὲ οὐ πολὺ ἀγόντων Νέμεια Ἀργείων ἔτυχε μὲν τῶν κιθαρῳδῶν τῷ ἀγῶνι ὁ Φιλοποίμην παρών· Πυλάδου δὲ, Μεγαλοπολίτου μὲν ἀνδρὸς γένος, κιθαρῳδοῦ δὲ τῶν ἐφ' αὑτοῦ δοκιμωτάτου καὶ ἀνῃρημένου Πυθικὴν νίκην, τότε ᾄδοντος Τιμοθέου νόμον τοῦ Μιλησίου Πέρσας καὶ καταρξαμένου τῆς ᾠδῆς.... ἀπεῖδεν ἐς τὸν Φιλοποίμενα τὸ Ἑλληνικόν. saeculo altero et primo a. Chr. certamina musica in utrisque sollemnibus usitata fuisse eo demonstratur, quod magnum quoddam artificum collegium τὸ κοινὸν τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν τῶν ἐξ Ἰσθμοῦ καὶ Νεμέας inde nomen duxit[4]). gymnicos tamen ludos semper primum obtinuisse locum

---

[1]) Praeconum et tubicinum certamina iam antea potuerunt institui. quae saepe etiam gymnicis certaminibus addita esse ludorum Olympiacorum demonstratur exemplo.

[2]) Pythocles Hermionensis qui »αὐλῳδός τε καὶ ἐν κυκλίοισι χοροῖσιν« multa praemia reportavit (CIG 1212, Kaibel Ep. Gr. 926), παρὰ Πειρήνην quoque se vicisse gloriatur (v. 4).

[3]) Ol. 143 a. quarto (aestati anni 205 a. Chr.) Droysen (Herm. XXXIIII 11, 23.) et Bergk (PLG[4] I 16) has res gestas adsignant. nihil de ea re decernit Unger Phil. XXXIIII 52. ad priorem saeculi tertii partem referendae sunt Pythoclis Hermionensis victoriae, si recte Kaibel Ep. Gr. 926 l. 3 supplevit ἐν Νεμέῃ τε et vera sunt ea, quae de Soteriorum catalogorum aetate infra disputabo.

[4]) Quod collegium ultimis duobus a. Chr. saeculis quam maxime floruisse videtur, cum sodales eius locis diversissimis ludos celebravisse compertum habeamus, veluti Argis (a. 113 a. Chr., Le Bas-Foucart II 116 a: τὸ κοινὸν τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν τῶν ἐξ Ἰ. καὶ Ν. τῆς ἐν Ἄργει συνόδου), Thebis (Bull. de corr. hell. IIII 335: τὸ κοινὸν τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν τῶν ἐξ Ἰ. καὶ Ν. σ[υντελούντων δὲ ἐ]ν Θήβαις), Opunte (Ephem. arch. ser. II [1874] n. 443: ἔδοξε τοῖς π. τ. Δ. τεχνίταις ἐξ Ἰ. καὶ Ν. συντελοῦσιν δὲ ἐν Ὀποῦντι). eiusdem collegii sodales Tei quoque versati sunt Cratonis tibicinis temporibus

inde potest colligi, quod in ipsorum artificum titulo honorario id decretum fuisse legimus: ὅπως ἐν τοῖς Νεμείοις ἐν τῷ ἀγῶνι τῷ γυμνικῷ ἀνακηρυχθῇ τὸ κήρυγμα τόδε (Le Bas-Foucart Voy. II 116 *a* a. 113 a. Chr.)[1]).

Haec igitur sunt, quae de communibus Graecorum ludis dicenda esse putabam[2]). singulas praeterea Argolidis urbes sua celebrasse sollemnia consentaneum est. Argis Heraea (quae eadem erant atque Hecatombaea, cf. schol. Pind. Olymp. VII 83) magnificentissime acta esse videntur. id quod iam eo intellegitur, quod Demetrius Poliorcetes (Plut. Demetr. 25) et Philippus Macedonum rex (Liv. XXVII 30, 9) eorum ludorum agonothetae fuerunt[3]). adde quod Cassandrum quendam, Menesthei filium, quem saeculi alterius parte priore populi Graeciae variis honoribus adfecerunt, Argivorum quoque urbs honoravit χρυσῷ στεφάνῳ καὶ θεωροδοκίᾳ τοῦ Διὸς τοῦ Νεμείου καὶ τῆς Ἥρας τῆς Ἀργείας. (Curtius Arch. Zeit. 1855. p. 34 sq., Le Bas-Waddington As. min. 1730 *a*, Ditten-

---

(CIG 3068 C) et in Amphictyonum decreto saeculo altero exeunte exarato commemorantur (CIA II 552 b). quod in titulo Delphico pessime habito CIG 1689 supplendum esse dixerunt τὸ κοινὸν τῶν τεχνιτῶν τῶν εἰς Ἰσθμὸν καὶ Νεμέαν συντελούντων probandum esse nego: immo collatis titulis antea citatis conicias scribendum esse τὸ κοινὸν τῶν τεχνιτῶν τῶν εἰς Ἰσθμὸν [καὶ Νεμέαν, συντελούντων δὲ ἐν . . . .] (cf. CIG 2529: ἱερὰ σύνοδος ἐς Νέμεα καὶ Πύθια). sed in titulo Thebano (Keil Syll. p. 80, Le Bas Voy. II 505), in quo Leake haec verba legit: . . . . τῶν εἰς Ἰσθμ[ὸν καὶ] Πιερίαν συντελούντων . ., num re vera pro Πιερίαν legendum sit Νεμέαν (Foucart de scaen. coll. p. 27), quamvis haec coniectura quam maxime adrideat, tamen pro explorato haberi nequit.

[1]) Videntur eius modi praeconia semper sollemnium initio facta esse. gymnica certamina etiam Isthmiis praecessisse demonstrare videtur Polybii locus (de Isthmiis a. 196) XVIII 40, 4: ἀθροισθέντος τοῦ πλήθους εἰς τὸ στάδιον ἐπὶ τὸν ἀγῶνα, προελθὼν ὁ κῆρυξ . .; Graecorum enim libertas renuntiata est ante certaminum initium; cf. Liv. XXXIII 32, 4.

[2]) Isthmiorum et Nemeorum celebrationes saepius a rerum gestarum scriptoribus commemorantur; cf. Polyb. V 101, XI 26. Liv. XXVII 31, XXXIIII 41. Plut. Arat. 28, Cleom. 17. de Nemeorum agonothetis cf. Krause l. c. 140, Bergk PLG[4] I 17 sq., Unger Acta acad. Monac. 1879, 2 p. 165 sq.; Isthmiis post Corinthum a Mummio deletam praesidebant Sicyonii, cf. Paus. II 2, 2.

[3]) Nicocreontis regis Cyprii statuam Argivi dedicaverunt, quod ad Heraeorum praemia aes Cyprium donaverat; cf. titulum apud Rossium Archäol. Aufs. II 661 sq. (Le Bas-Foucart II 122, Hicks Histor. inscr. 136) in primis vv. 5 sq.:

Στᾶσαν δ' Ἀργεῖοί με χάριν χαλκοῖο τίοντες
Ἥρᾳ ὃν εἰς ἔροτιν πέμπ(ον ἄεθ)λα νέοις.

berger Syll. 211). in Nicoclis citharoedi victoriarum catalogo Ἑκατόμβοια quoque commemorantur. theatri Argivorum mentio fit a. 223 apud Plut. Cleom. 17. inter Corinthiacos ludos in primis praeclari fuerunt illi, quos Antigonus II. Gonnatas instituit a. 244 a. Chr., cum urbem per dolum cepisset, cf. Plut. Arat. 17: ἔθυε γάμους αὐτῶν (Nicaeae scilicet et Demetrii) ἐν Κορίνθῳ καὶ θέας ἐπετέλει καὶ πότους συνῆγε καθ' ἡμέραν, ὡς ἄν τις μάλιστα παίζειν καὶ σχολάζειν τὴν διάνοιαν ὑφ' ἡδονῆς καὶ φιλοφροσύνης ἀφεικώς. ἐπεὶ δὲ καιρὸς ἦν ᾄδοντος Ἀμοιβέως ἐν τῷ θεάτρῳ, παρέπεμπε τὴν Νίκαιαν αὐτὸς ἐπὶ τὴν θέαν..., cf. Polyaen. Strateg. IIII 6, 1, Droysen Gesch. d. Hellen.[2] III 1 p. 412.

Sicyonios in Demetrii honorem annuos agonas instaurasse narrat Diodorus XX 102. idem primi in Antigoni III. (Dosonis) honorem certamina instituerunt, cf. Plut. Arat. 45: θυσίας δὲ καὶ πομπὰς καὶ ἀγῶνας Ἀντιγόνῳ συνετέλουν, ἀρξαμένων τῶν Ἀράτου πολιτῶν (a. 223 a. Chr., cf. Plut. Cleom. 16) atque Aratum mortuum (213 a. Chr.) non solum summis adfecerunt honoribus, sed etiam sollemnia in eius memoriam condiderunt, quibus nomen Σωτήρια inditum est; cf. quae Plut. Arat. 53 de ludorum illorum celebratione narrat: μέλη δ' ᾔδετο πρὸς κιθάραν ὑπὸ τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν...

Ἀσκληπίεια Epidauri acta enumerantur inter eos dies festos, quibus victorias Nicocles citharoedus reportavit, atque eiusdem urbis agones commemorantur in titulo Ephem. arch. ser. III 1883. p. 85 sq.; praeterea in titulo Epidaurio saeculo altero vel primo a. Chr. exarato, quem edidit Cabbadias Eph. arch. 1883. p. 27, n. 4 legimus: Ἁ πόλις τῶν Ἐπιδαυρίων | Διομήδην Ἀθηνοδώρου Ἀθηναῖον ποιητὰν | κωμωδιῶν ἀνέθηκε. de quo Diomede coniecturam hoc loco mihi licebit proponere. in theatro enim Bacchi Athenis basis reperta est hac inscriptione instructa: Διομήδης. Δημήτριος Πτελεάσιος ἐποίησεν (CIA III 952). cum igitur eodem loco inventi sint tituli tres, qui subscripti erant statuis poetarum scaenicorum in theatro positis, dico hos: CIA III 949: Θέσπις, 750: Τιμόστρατος, 951: Διονύσιος, iam Dittenberger suspicatus est titulum 952 (Διομήδης) ex eodem genere fuisse. nunc autem titulo Epidaurio reperto non dubito statuam Athenis positam ad eundem poetam comicum Atheniensem referre, quem Epidaurii saeculo altero vel primo a. Chr. statuae honore ornaverunt[1]).

---

[1]) Quae cum iam typis mandabam, in manus meas pervenit E. Loewyi liber: Inschr. gr. Bildh.; qui si recte sub n. 237 titulum Atheniensem titulis saeculi II. et I. a. Chr. inseruit, coniecturam meam probabiliorem fieri adparet.

Megarensium ludi in titulis saepius commemorantur (cf. προεδρία ἐμ πᾶσι τοῖς ἀγῶσιν οἷς ἁ πόλις τίθητι Le Bas-Foucart 29, 30 *a*, 34; Mitth. d. d. arch. Inst. VIII 185). Aretae cuiusdam donatio πρὸς τὸν ἀγῶνα τὸν τιθέμενον ἐν τῇ θυσίᾳ τῇ Ποσειδωνίου Aegosthenis legitur in titulo saeculo tertio scripto (Le Bas-Foucart 25 *a*). de ceterarum Graeciae urbium diebus festis cum fere nihil memoriae traditum sit [1]), ad Atheniensium Delphorum Boeotorum ludos tractandos transeo, quos accuratius cognitos habemus.

Athenis Alexandri aetate ludorum rationem non statim immutatam esse consentaneum est. neque, si insitum genti Atticae spectaculorum studium respexeris, numerum certaminum subito imminutum esse putabis [2]), immo sensim opibus deficientibus simul splendorem commissionum decrevisse per se patet. erant enim etiam tum liberalium artium sedes Athenae, vigebat ibi tertio quoque saeculo philosophiae studium, florebat nova quae dicitur comoedia: neque tamen ut antea illuc iam conveniebant ex omnibus regionibus summi poetae, summi histriones, praeclari artifices musici, qui tum aliis locis, in Macedonia Pergami Alexandriae gloriam sibi parare cupie-

---

[1]) Patris odeum pulcherrimum paulo post Gallorum incursum extructum esse testatur Paus. VII 20, 3, cf. Wieseler l. c. p. 201 adn. 124 a. Opunte scaenicos aut musicos agonas habitos esse docet artificum Dionysiacorum decretum antea citatum Ephem. arch. ser. II (1874) n. 443. Eretriae ἡ πομπὴ τοῦ Διονύσου et chori commemorantur in titulo CIG 2144 (Dittenberger Syll. 201), quem Boeckh et Dittenberger ad annum ol. 145, 4 (197/6 a. Chr.) rettulerunt, Wilamowitz (Antigonos v. Karystos p. 101 adn.) fortasse rectius ad annum 313 a. Chr.; praeter Dionysia Eretriae nominatur etiam Ἀρτεμισίων ὁ ἀγὼν τῆς πυρρίχης (Rangabé Ant. hell. 689). titulus agonisticus Tamynis inventus infra adferetur. Macedoniam, insulas, Asiam minorem, Syriam, Aegyptum nunc omitto, ne huius capitis fines nimis extendam; amplam materiam, quam nemo adhuc plene tractavit — neque enim satisfacere possunt, quae Lüders Foucart Wieseler C. F. Hermann his de rebus in libris saepius citatis protulerunt — alio tempore propositurus sum.

[2]) Nonnumquam etiam praeter usitatos agonas additos esse alios demonstrat titulus CIA II 314, l. 40 sq.: ἀγωνοθέτης ἐπὶ Ἰσαίου ἄρχοντος...... ἐπίθετον ἀγῶνα κατεσκεύασεν τῇ Δήμητρι καὶ τῇ Κόρῃ πρῶτος ὑπόμνημα τῆς τοῦ δήμου ἐλευθερίας (ol. 123, 3 = 286/5 a. Chr., cf. Dittenberger Syll. 143, Wilamowitz l. c. p. 256). a. ol. 122, 3 (290 a. Chr.) Demetrium Athenis Pythia celebrasse antea dixi, cf. Plut. Demetr. 40. in eiusdem Demetrii honorem Athenienses Dionysia sua nominaverunt Demetria, cf. Plut. Demetr. 12: τέλος δὲ τῶν τε μηνῶν τὸν Μουνυχιῶνα Δημητριῶνα .... καὶ τῶν ἑορτῶν τὰ Διονύσια μετωνόμασαν Δημήτρια, cf. Duris apud Ath. XII 536 a (fr. 31 M.): γιγνομένων δὲ τῶν Δημητρίων Ἀθήνησιν.

bant [1]). in Panathenaeorum ludis Nicoclem citharoedum saeculo IIII. exeunte vicisse antea vidimus. et gymnicorum certaminum catalogi complures servati sunt, qui demonstrant hanc sollemnium partem dignitate quadam non caruisse. ad victores certaminum musicorum Koehler parvum fragmentum (CIA II 967, p. 388) rettulit: neque vero, quo modo exiles scripturae reliquiae supplendae sint, definiri potest. Lenaea quoque etiamtum ludis celebrata esse e titulis compertum habemus [2]). atque Nicocles Lenaeis διθυράμβῳ vicit. quando autem dithyramborum poetae in his sollemnibus admissi sint, quamdiu hic prodire soliti sint, ignoramus. Thargeliorum vero certamen post a. ol. 113, 4 = 325/4 a. Chr. (CIA II 809) commemorari non memini. sed iam missis minoribus agonibus, quibus posteriore aetate in primis ephebos interfuisse videmus, ad Dionysia, quae inter dies festos primum tenebant locum, tractanda adgrediar. et cum scaenicos ludos ab hac dissertatione excluserim, iam nihil restat, nisi ut de chororum certaminibus exponam, quae saeculo quarto exeunte graviter immutata esse ante dixi. ultimi enim tituli, in quibus singulos cives choragiae munere functos esse traditur, a. ol. 115, 1 (320/19 a. Chr.) scripti sunt; posteriore aetate semper invenitur formula ὁ δῆμος ἐχορήγει, quam excipit agonothetae nomen. atque haec egregio acumine perspexit Koehler (Mitth. d. d. arch. Inst. III 232 sq.) [3]), qui de singulis quoque agonothetarum muneribus titulorum testimonia composuit. antiquissimum quod nunc extat agonothesiae exemplum Koehler Xenoclis Sphettii agonothetae titulum esse dixit (cf. Kumanudis Ἀθηναίου

---

[1]) Attamen collegium artificum Atticum etiam saeculo II. et I. viguisse demonstrant tituli CIA II 551 (cuius tituli decretum alterum exeunte saeculo II. scriptum est), CIA II 552 c (ultimis saec. II. a. Chr. annis scriptus, in quo diserte commemoratur τὸ κοινὸν τῶν τεχνιτῶν τῶν ἐν Ἀ[θήναι]ς), CIA II 628 (saec. I. a. Chr. exaratus). adde titulos Bull. de corr. hell. III 352, CIA II 628, in quibus poetae duo ab artificibus honorantur, et titulum Archäol. Zeit. XXVIIII 3. l. 29, ubi saec. I. bona collegii comoedorum Pallenensium commemorantur (cf. Sauppe l. c. p. 15).

[2]) Lenaeis posteriore aetate novas tragoedias et comoedias actas non esse pro certo adfirmari potest; videmus enim inde ab ineunte saeculo II. ne Dionysiis quidem unoquoque anno comoediarum certamina habita esse, sed saepius excidisse; cf. Koehler l. c. III 129 et titulos CIA II 975, Ephem. arch. ser. III. 1884. p. 137 [l. 31: ἀνειπεῖν ... Διονυσίων τῶν ἐν ἄστει τραγωιδῶν τῶι καινῶι ἀγῶνι, ὅταν πρῶτ[ον ὁ δῆμος συ]ντελεῖ τὰ Διονύσια (saec. III.)].

[3]) Oblocutus est Thumser l. c. p. 87 adn. 5, cui respondit Koehler l. c. IIII 328 adn. 2.

VI 276 et 367, Foucart Bull. d. corr. hell. II 391), quem hoc modo supplendum esse docuit l. c. p. 236 sq.:

Ὁ δῆμος ἐ[χορήγει ἐπ' Ἀναξι]κράτους ἄρχοντος,
ἀγωνοθέ[της Ξενοκλῆς Ξ]είνιδος Σφήττιος,
ποίητὴς τραγωι[δίας· Φανόστρατο]ς Ἡρακλείδου Ἁλικαρνασσεύς,
ὑποκριτὴς τραγ[ωιδίας· ....ω]ν Εὐανορίδου Κυδαθηναιεύς,
ποιητὴς κωμωι[δίας· Φιλήμω]ν Δάμωνος Διομειεύς,
ὑποκρίτὴς κ[ωμωιδίας· Κάλλιπ]πος Καλλίου Σουνιεύς.

duo fuerunt Anaxicrates archontes, quorum unus a. ol. 118, 2 (307/6 a. Chr.), alter ol. 125, 2 (279/8 a. Chr.) hoc munere functus est. cum igitur Koehler hunc titulum ad priorem rettulisset, Dittenberger (Syll. 417) monuit nihil obstare, quominus alter hic intellegeretur; Philemonem enim usque ad belli Chremonidei tempora (fere 263 a. Chr.) vitam egisse, Xenoclem autem quendam Sphettium Chremonidei belli aetate vixisse Athenis (CIA II 334). attamen probabilius mihi videtur de priore Anaxicrate cogitare, cum et dubitari possit, num Philemon, a. 279/8 satis aetate provectus, novas etiam tum comoedias docuerit, et alter ille Ξενοκλῆς Ξείνιδος Σφήττιος melius ad a. 307/6 quam eius nepos ad a. 279/8 referri possit. scimus enim Xenoclem avum, qui gymnasiarchus fuit ol. 108, 3 (346/5 a. Chr.) et in tabulis navalibus intra annos ol. 111, 3 (334/3 a. Chr.) et ol. 113, 3 (326/5 a. Chr.) saepius nominatus est, a. 305 legationem ad regem quendam (Antigonum?) subiisse (Koehler Mitth. d. d. arch. Inst. V 273)[1]. quae cum ita sint, titulus a. 307/6 adscribendus et Koehleri coniectura maxime probabilis recipienda est, qua mutationem illam in certaminum musicorum rationibus a Demetrio Phalereo archonte ol. 117, 4 (309/8 a. Chr.) factam esse statuit[2].

Cum igitur non habeam, quod decretis Atticis, in quibus agonothetarum mentio fit, a Koehlero l. c. III 232 sq. congestis addam[3],

---

[1]) cf. nunc etiam E. Löwy Inschr. gr. Bildh. ad n. 85 et Add. p. XX.

[2]) Demetrius Phalereus alias quoque in certaminibus musicis res mutasse videtur veluti in rhapsodorum certaminibus Panathenaicis. nam ad haec referenda videntur, quae memoriae tradidit Ath. XIIII 620 b: ὅτι δ' ἐκαλοῦντο οἱ ῥαψῳδοὶ καὶ Ὁμηρισταί, Ἀριστοκλῆς εἴρηκεν ἐν τῷ περὶ χορῶν· τοὺς δὲ νῦν Ὁμηριστὰς ὀνομαζομένους πρῶτος εἰς τὰ θέατρα παρήγαγε Δημήτριος ὁ Φαληρεύς; cf. Wilamowitz Homer. Untersuchungen p. 364.

[3]) Agonothetae, qui in titulis nominantur, sunt hi: Philippides Philomeli f. (Olympiodoro archonte bis fuerat agonotheta: CIA II 302); Agathaeus Autoclis f. (ol. 122, 4 = 289/8 a. Chr.: CIA II 307, Dittenberger Syll. 381);

iam illos propositurus sum titulos, qui ad monumenta ab agonothetis post ludos bene administratos dedicata referendi sunt. qui uno illo, quem antea adtuli, excepto (cf. etiam p. 87), omnes ad chororum spectant certamina, quae quo modo illa aetate acta sint accuratius definire nequimus. tituli autem ipsi monumentis aut publice aut privatim dedicatis inscripti erant. et priores ita solebant disponi, ut versu primo praemitterentur haec: ὁ δῆμος ἐχορήγει, ὁ δεῖνα ἦρχε aut ἐπὶ τοῦ δεῖνος ἄρχοντος ὁ δῆμος ἐχορήγει, versu altero scriberetur agonothetae nomen addito fere semper patris pagique nomine, versu tertio nominaretur tribus victrix addita voce ἀνδρῶν aut παίδων, ultimo denique loco (v. quarto vel vv. quarto et quinto) ponerentur tibicinis et chori magistri nomina ita quidem, ut utrique adderetur patriae nota ac priore semper loco tibicen commemoraretur. nonnumquam unum idemque monumentum et ad puerorum et ad virorum chorum spectabat. tum post primum alterumque versum v. 3 a sinistra tribum, quae puerorum chorum praebuerat, nominatam, lineis quarta et quinta tibicinis et chori magistri nomina subscripta invenies, a dextra eadem de virorum choro insculpta sunt. priore igitur loco exhibebo titulos, quorum aetas definiri potest, deinde recensebo titulos aetatis incertae additis simul fragmentis nonnullis, quae alicuius momenti esse videntur:

I. Eph. arch. ser. II. 1862. n. 170 sq.; fragmenta composuit et supplevit Koehler Mitth. d. d. arch. Inst. 1884. p. 49:

ὁ δῆμος ἐ(χο)ρ(ήγ)ει, Νικίας ἦρχε,
ἀγωνοθέτ(ης Γλαύκ)ω(ν) Ἐ(τεο)κλέους Αἰθαλίδης,
Λεωντὶς (ἀν)δρῶν ἐνίκα, Ἱπποκλῆς Βοιώτιος
ηὔλει, Θ(εοδ)ωρίδης Βοιώτιος ἐδίδασκε.

Nicias est Otrynensis [1]), quem a. ol. 124, 4 (281/80 a. Chr.) archontem fuisse Dittenberger et Wilamowitz probabiliter coniecerunt.

Philippides comicus (ol. 123, 3 = 286/5 a. Chr.: CIA II 314, Dittenberger Syll. 143, Hicks l. c. 160); Phaedrus Thymocharis f. (ol. 121, 1 = 296/5 a. Chr.: CIA II 331, Dittenberger Syll. 162); Thymochares Phaedri f. (ol. 126, 4 = 273/2 a. Chr.(?): CIA II 331, Dittenberger Syll. 162); Euryclides Cephisiensis (a. 229 a. Chr. aut paulo ante: CIA II 379, Dittenberger Syll. 180); anonymus quidam (post 229 a. Chr.: Ἀθηναίου VII 93 n. 6).

[1]) Id quod Koehler gravissimis argumentis demonstravit p. 52; idem monuit Dittenbergerum in tit. CIA II 331 (Syll. 162), ubi Phaedrus Thymocharis filius dicitur ἀγωνοθέτης χειροτονηθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμου ἐπὶ Νικίου

II. CIG 225 (Franz Elem. ep. Gr. 70, Le Bas Att. 472):

῾Ο δῆμος ἐχορήγει, Πυθάρατος ἦρχεν,
ἀγωνοθέτης Θρασυκλῆς Θρασύλλου Δεκελεεύς,
῾Ιπποθωντὶς παίδων ἐνίκα,
Θέων Θηβαῖος ηὔλει,
Πρόνομος Θηβαῖος ἐδίδασκε.

III. CIG 226 (Le Bas Att. 473):

ὁ δῆμος ἐχορήγει, Πυθάρατος ἦρχεν,
ἀγωνοθέτης Θρασυκλῆς Θρασύλλου Δεκελεεύς,
Πανδιονὶς ἀνδρῶν ἐνίκα,
Νικοκλῆς ᾿Αμβρακιώτης ηὔλει,
Λύσιππος ᾿Αρκὰς ἐδίδασκεν.

Pytharatus est archon a. ol. 127, 2 (271/70 a. Chr.).

IIII. ed. Kumanudis ᾿Αθηναίου V 330 n. 12 (Dittenberger Syll. 418):

῾Ο δῆμος ἐχορήγει, Σωσίστρατος ἦρχε [1]),
[ἀγω]νοθέτης Θεοφάνης Διοσκουρίδου Εὐωνυμεύς,
᾿Ερεχθεὶς ἀνδρῶν ἐνίκα,
Σωκράτης ῾Ρόδιος ηὔλει, ᾿Εράτων ᾿Αρκὰς ἐδίδασκεν.

V. ed. Kumanudis ᾿Αθηναίου VI 278 n. 7 (Dittenberger Syll. 419):

[ὁ δῆμος ἐχορήγει, ὁ δεῖνα ἦρ]χεν,
[ἀγωνοθέτης ὁ δεῖνα Εὐ]νομίδου [2]),
[ἡ δεῖνα φυλὴ παίδων ἐνίκα] ᾿Ερεχθηὶς ἀνδρῶν ἐνίκα,
[ὁ δεῖνα ηὔλει] Φίλιππος Σικυώνιος ηὔλει,
[ὁ δεῖνα ἐδίδασκε] ῾Ελλάνικος ᾿Αργεῖος ἐδίδασκε.

ἄρχοντος, iniuria de Nicia Otrynensi cogitasse, cum Nicias archon a. ol. 121, 1 (296/5 a. Chr.) intellegendus esset. in titulo, in cuius v. 21 Nicias archon a. ol. 121, 1 commemoratur, in v. 54, si alter archon significaretur, certe Niciae nomini demoticum addi debebat.

[1]) Sosistratum, cum eius nomen desit in continua archontum serie, post a. ol. 122, 1 (292/1 a. Chr.), ac si litterarum formas respexeris, perpaucis annis post archontis munere functum esse suspicatur Kumanudis. quodsi ludere liceat, suspicer Sosistrati nomen in Dionysii Halic. (Din. 9) archontum indice post Nicostratum archontem a. ol. 121, 2 (295/4 a. Chr.) propter similem alteram nominis partem (-στρατος) excidisse eiusque nomine inserto conclamatam illam lacunam supplendam esse. verum ipse aliis de causis Sosistratum posteriore aetate archontem fuisse statuere malo.

[2]) Pagi nomen omissum esse iure miramur.

quarto a. Chr. saeculo titulum adsignavit Kumanudis l. c.; sed sine dubio recentior est a. 309/8 a. Chr.

VI. ed. Kumanudis 'Αθηναίου VI 367, Foucart Bull. de corr. hell. II 392 (Mél. d'épigr. I 79), cf. Koehler Mitth. d. d. arch. Inst. III 238:

ἐπὶ 'Αναξικράτους ἄρχ]οντος ὁ δῆμ[ος ἐχορήγει,
ἀγωνοθέτης Ξε]νοκλῆς Ξείν[ιδος Σφήττιος.

[ἡ δεῖνα φυλὴ παίδων ἐνίκα]	////////
[ὁ δεῖνα ηὔλει]	Φιλ.....[1]) [ηὔλει,
[ὁ δεῖνα ἐδίδασκε].	Καλ.... [ἐδίδασκε.

cum satis probabile sit hunc titulum ad eandem Xenoclis agonothesiam referendum esse, in cuius memoriam titulus ille, quem antea adtuli, scriptus est, Anaxicratis nomen v. 1 Koehler recte restituisse videtur, atque utique titulus a. ol. 118, 8 (307/6 a. Chr.), quo Antigonis et Demetrias tribus institutae sunt, propter erasum tribus nomen antiquior esse nequit. v. 3 a sinistra ἡ δεῖνα φυλὴ παίδων, a dextra ἀνδρῶν supplenda videntur. hunc enim ordinem servatum esse non modo titulus V., sed alia quoque fragmenta demonstrant, cf. titt. Eph. arch. n. 1847 et n. 974 (Le Bas Att. 488, cf. Rangabé Ant. hell. 2357), quem hoc modo constituendum esse puto:

ὁ δῆμος ἐχορ[ήγει, ὁ δεῖνα ἦρχε,
ἀγωνοθέτης [ὁ δεῖνα..........

ἡ δεῖνα φυλὴ π]αίδων ἐνίκα	[ἡ δεῖνα φ. ἀνδρῶν ἐνίκα
ὁ δεῖνα 'Α]θηναῖος ηὔλει.	[........

Multa deinde extant fragmenta, quae, utrum ad titulos a choragis an ad titulos ab agonothetis positos referenda sint, nisi litteris accurate examinatis non poterit diiudicari. veluti titulus, quem p. 41 adtuli:

Λεοντὶς παί[δων ἐνίκα,
Τιμογένης 'Αθ[ηναῖος ηὔλει (?),
Μοιραγένης 'Οπού[ντιος ἐδίδασκε (?).

propter versuum dispositionem optime ad agonothetae quoddam monumentum referri potest. porro fragmentum, quod Pittakis Eph. arch. n. 1844, Rangabé l. c. 2356, Le Bas l. c. 487 ediderunt, hunc in modum restituere non dubito:

---

[1]) Eundem Philippum Sicyonium tibicinem hic atque in titulo V. significari Dittenberger (Syll. 419 adn. 2) suspicatus est.

[ὁ δῆμος ἐχορήγει, ὁ δεῖνα ἦρχε,]
[ἀγωνοθέτης]......ας Φιλίνου Λακ[ιάδης,
[ἡ δεῖνα παίδων ἐνίκα] Ἐρεχθηῒς ἀνδ[ρῶν ἐνίκα.
....

Rangabé suppleverat ..ας Φιλίνου Λακιάδης ἐχορήγει; at Λακιάδαι non Erechtheidis pagus est, sed Oeneidis.

Iam omissis aliis nonnullis fragmentis sane exiguis, quibus nihil edocemur, duos addo titulos, qui ad musicas quidem aut scaenicas commissiones spectant, privatis autem monumentis inscripti erant. quorum priorem Kumanudis edidit Ἀθηναίου VII 291 n. 1:

ἐπὶ ....] ἄρχοντος
Λύσιππος Λυσιφίλου Χο-
λαργεὺς ἀγωνοθετήσας
Διονύ]σωι παιδείωι.

quem titulum propter litterarum formas ille temporibus Macedonicis adscribit. et nunc quoque in lapide vestigia adesse testatur, quibus tripoda quondam supra positum fuisse manifestum sit. alter titulus, qui editus est a Pervanoglu Bull. d. inst. arch. 1862. p. 166 et optime suppletus est a Benndorfio (Götting. Gel. Anz. 1871 p. 607), nunc est inter epigrammata a Kaibelio e lapidibus collecta 924:

Εἴ καί τις προτέρων ἐναγωνίωι Ἑρμῆι ἔρεξεν
ἱερά, καὶ Νίκηι τοιάδε δῶρα πρέπει,
ἣν πάρεδρον Βρομίωι κλεινοῖς ἐν ἀγῶσι τεχνιτῶν
Πραξιτέλης δισσοῖς εἵσαθ' ὑπὸ τρίποσιν.

is igitur titulus, quem Koehler medio saeculo tertio non vetustiorem, medio altero non recentiorem iudicavit, ad scaenica certamina spectare videtur (cf. Benndorf Eph. gymn. Austr. 1875 p. 735 sq.), cum de chororum certaminibus verba ἐν ἀγῶσι τεχνιτῶν vix dicta esse possint.

In singulis pagis saeculo III. et II. sine dubio ludi non edebantur nisi rarissime; Eleusine autem, de cuius sollemnibus dixi p. 54 sq.[1]) etiam saeculo primo a. Chr. musicos et scaenicos agonas ab artificibus Dionysiacis actos esse titulus demonstrat aetate Sullana scriptus, quem post multos alios Koehler edidit CIA II 628.

Quae res cum minoris momenti sint, iam ad spectacula, quae Delphis hac de qua agitur aetate edebantur, tractanda transeundum esse

---

[1]) Ἁλῶῖων ὁ πάτριος ἀγὼν Eleusine etiam in titulo saeculi III. commemoratur Eph. arch. ser. III. 1884. p. 137, l. 29.

videtur[1]). ac de Pythiis temporibus illis celebratis pauca extant testimonia. veluti ut saeculo quinto Aristonus sex victorias in Pythico citharoedorum agone reportaverat (Plut. Lys. 18), sic quarto Nicoclem sexiens Πύθια vicisse titulus saepius a me citatus docet. saeculo altero exeunte Pylades Megalopolitanus citharoedus in Pythiorum certaminibus primum praemium reportavisse dicitur (Paus. VIII 50, 3). verum saeculo tertio Delphis novus agon institutus est, qui praeter ceteros dignitate et splendore floruisse videtur. paucis enim annis, postquam Galli prope Delphos victi sunt, Aetoli in honorem Jovis Servatoris et Apollinis Pythii sollemnia instauraverunt, quibus Σωτήρια nomen inditum est. quae res cognoscitur ex decreto sane memorabili CIA II 323 (Dittenberger Syll. 149), cui Polyeucti archontis nomen praescriptum est, unde τὸ κοινὸν τὸ τῶν Αἰτωλῶν Athenienses per legatos certiores fecisse de novis certaminibus instituendis comperimus. Polyeuctum[2]) cum ad a. ol. 125, 4 (277/6 a. Chr.) probabiliter rettulerit Dittenberger Herm. II 293 sq. (cf. Syll. 149), a. 276 prima Soteria celebrata esse veri simile est[3]). atque Chiorum decreto Bull. d. corr. hellen. V 300 sq. (Dittenberger Syll. 150), quod similis argumenti fuit ac plebiscitum Atticum antea citatum, edocemur agona fuisse στεφανίτην, τὸμ μὲν μουσικὸν ἰσοπύθιον, τὸν δὲ γυμνικὸν καὶ ἱππικὸν ἰσονέμεον ταῖς τε ἡλικίαις καὶ ταῖς τιμαῖς. accuratissime autem singulas agonis musici partes quattuor titulis cognovimus, quibus enumerantur omnes qui Soteriorum certaminibus interfuerunt artifices musici, editis a Weschero et Foucartio Inscr. rec. à Delphes 3—6, unde eos exscripsit Lüders l. c. p. 187 sq. n. 112, 1—4, quare eos

[1]) Saepissime Delphi decernunt προεδρίαν ἐμπᾶσι τοῖς ἀγώνοις, οἷς ἁ πόλις τίθητι (cf. CIA II 550, Wescher-Foucart Inscr. rec. à Delphes 11 sq.; Bull. de corr. hell. V 388, Eph. arch. ser. III. 1883. p. 166 et passim). in Amphictyonum decretis saepius legitur formula: προεδρίαν ἐμπᾶσι τοῖς ἀγῶσι, οἷς τίθεντι Ἀμφικτίονες (Wescher-Foucart 21, Rangabé Ant. hell. 706 sq.). et choragiae institutum Delphis quoque valuisse testantur tituli complures, cf. Wescher-Foucart 16 (ἀτέλειαν εἶμεν χοραγίας καὶ τοῦ ἰατρικοῦ), Bull. de corr. hell. VII 416 sq. n. II.

[2]) Bergk (Phil. XLII 234), cum Charixenum Aetolorum praetorem, qui in hoc titulo nominatur, eundem putaret atque Charixenum apud Polybium IIII 34, 9 commemoratum, aetati multo recentiori et Polyeuctum et Soteria adsignare voluit. quae coniectura omni caret fundamento.

[3]) cf. etiam Merriam Americain journal of archeol. (1885) p. 31. Alexandriae vas sepulcrale repertum est, cui inscriptum est: Σωτίων Κλέωνος Δελφὸς τὰ Σωτήρια ἐπαγγέλλων (ibid. p. 23).

hoc loco nolo repetere[1]. iam de catalogorum, qui his titulis continentur, aetate quam maxime dubitant homines docti. etenim cum Wescher (l. c. p. XII), Bürgel (Die pylaeisch-delphische Amphiktyonie p. 171 sq. adn. 8), Bücher (De gente Aetolica Amphictyoniae participe p. 30), alii, saeculo alteri ineunti eos tribuant, Lüders (l. c. p. 113), Sauppe (ind. schol. Götting. 1876 p. 11 sq.), A. Mommsen (Delph. p. 222 adn. 1) eos parti priori tertii a. Chr. saeculi adsignant. atque nuper Bürgelii Bücherique sententiam comprobavit Dittenberger Syll. p. 592 (ad. n. 404). cui viro doctissimo cum adsentiri nequeam, paulo accuratius de singulis, quae titulis inesse videntur, aetatis indiciis exponendum est. quattuor archontum Delphicorum nomina catalogis artificum praescripta sunt haec: Aristagoras Emmenidas Nicodamus Cleondas; excipit hieromnemonum index. archontas Delphicos annorum inde ab ol. 145, 3 (198/7 a. Chr.) usque ad ol. 152, 4 (169/8 a. Chr.) A. Mommseni dissertatione, quam edidit Phil. XXIIII 1 sq. (Delphische Archonten nach der Zeit geordnet), cognovimus. cum igitur a. ol. 145, 4 (197/6 a. Chr.) Emmenidas quidam in magistratu fuisset, catalogum II., cui Emmenidas archon praescriptus est, anno illi cum alii[2] tum Dittenberger adtribuerunt. cui coniecturae gravissima mihi obstare videntur argumenta. etenim cum in his quattuor catalogis omnibus idem collegii sacerdos nominetur et in unoquoque inter pueros chororum idem inveniatur Ἀντιγένης Βουλευτοῦ Χαλκιδεύς (cf. Lüders l. c. p. 188 adn. 5), singulos catalogos non quadriennii spatio inter se distare patet. Soteria igitur aut trieterica, aut, id quod veri similius videtur (cf. infra), annua erant. iam Nicodami archontis annum, quo scriptus est catalogus III., tertium quendam olympiadis fuisse e titulo CIG 1689 *b* (Le Bas Voy. II 836) cognovimus. hic enim eodem archonte isdemque hieromnemonibus praescriptis adiecta est temporis nota Πυθίοις (cf. Bürgel l. c. p. 170 adn. 4, A. Mommsen l. c. p. 224). iam cum inde ab Emmenida archontes Delphici noti sint et Nicodamum ante illum magistratu functum esse statuendum sit, proximo autem ante Emmenidam a. (ol. 145, 3) Orthaeum in magistratu fuisse sciamus, Nicodamus, si Dittenbergeri coniecturam accipimus, non ante a. ol. 144, 3 id munus gessit[3]. catalo-

[1]) Singulos catalogos numeris I. II. III. IIII. designabo.

[2]) Bücher l. c. p. 30, Bürgel l. c. p. 171 adn. 8.

[3]) Bürgel (l. c. p. 172) igitur hunc ordinem statuit: Nicodamus ol. 144, 3, Cleondas Aristagoras anonymus quidam ol. 144, 4—145, 2, Orthaeus ol. 145, 3, Emmenidas ol. 145, 4.

gum igitur II. a catalogo III. quinque annorum spatio distare statuamus oportet. quae res minime veri similis est, si reputamus in catalogis II. et III. sedecim (aut duodeviginti)[1]) hominum eorundem nomina commemorari, quorum duodecim (aut tredecim) in neutro reliquorum leguntur. unde hos duos catalogos ex temporum rationibus artissime inter se cohaerere recte statuere possumus, si respicimus catalogo II. cum catalogo I. tredecim, cum catalogo IIII. sex, catalogo autem III. cum catalogo I. octo, cum catalogo IIII. non plus sex (aut septem) nomina communia esse. catalogi autem I. et IIII., si Nicodamum a. ol. 144, 3 et Emmenidam a. ol. 145, 4 in magistratu fuisse statueremus, intra catalogos III. et II. inserendi essent, cum hos quattuor catalogos omnes eodem sex septemve annorum spatio scriptos esse antea docuerimus. atque alia quoque possunt proferri, quae minime veri simile esse demonstrent catalogum illum alterum ad Emmenidam archontem a. ol. 145, 4 referendum et Aristagoram Nicodamum Cleondam annis proximis ante ol. 145, 4 adsignandos esse. veluti a. ol. 145, 1 (200/199 a. Chr.) Mantiam quendam magistratum Delphis gessisse scimus (Bull. de corr. hell. V 408 n. 15), id quod ipse Dittenberger comprobavit (Syll. 446). iam vides reliquos esse annos ante ol. 145, 1 et annum 145, 2, quibus e Dittenbergeri coniectura archontes illi tres adsignandi essent. sed ex mea quidem sententia hi quoque anni aliis potius archontibus adtribuendi sunt, quos hoc tempore munere functos esse argumenta minime neglegenda evincere videntur. quippe extat Aetolorum de asylo Teio decretum στραταγέοντος Ἀλεξάνδρου Καλυδωνίου factum CIG 3046 (Le Bas-Waddington As. min. 85, Cauer Del.[2] 238), quod annis proximis ante a. ol. 145, 1 scriptum esse statuendum est[2]). eosdem autem

---

[1]) Si coniecturas illas accipimus, quibus Foucart et Lüders nominum male traditorum reliquias supplere conati sunt.

[2]) Anno enim ol. 146, 1 (196/5 a. Chr.) στρατηγὸς Ἀλέξανδρος Καλυδώνιος τὸ δεύτερον commemoratur (cf. A. Mommsen l. c. p. 28.), titulus autem, quem tractamus, cum in eo praetoris nomen ordinis nota (τὸ δεύτερον, τρίτον..., cf. A. Mommsen l. c. p. 21 adn. 51) careat, ad primum magistratum Alexandri referendus est; cf. Bergk Phil. XLII 240. anno vero ol. 145, 4 Alexomenos, ol. 145, 3 Phaeneas (Mommsen p. 27), ol. 145, 1 Damocritus Calydonius (Bull. de corr. hell. V 408 n. 15) praetoris munere functi sunt. neque vero Alexandrum a. ol. 145, 2 magistratum gessisse statuere licet. hoc enim si sumimus, Philocratem archontem, quocum una ille in decreto Delphico mense Poetropio facto nominatur, eodem anno 145, 2 munere suo functum esse, Megartam autem archontem, quocum idem Alexander munus suum administravit, archontem insequentis anni (ol. 145, 3) fuisse ut statuamus, cogimur, cum

legatos Teios Delphis de isdem rebus egisse Megarta archonte demonstrat Delphorum decretum apud Le Bas-Waddington l. c. 84 (Cauer Del.[2] 208). Megartas igitur eodem tempore archon fuit, quo Alexander praetoris munere functus est. iam cum extet titulus Delphicus (Wescher-Foucart l. c. 243), cui praescripta sunt haec: στραταγέοντος τῶν Αἰτωλῶν Ἀλεξάνδρου Καλυδωνίου..... ἐν δὲ Δελφοῖς ἄρχοντος Φιλοκράτεος μηνὸς Ποιτροπίου τοῦ πρώτου, patet Philocratem archontem fuisse eius anni Delphici, cuius tertio mense Alexander praetor electus est, Megartam autem a. insequenti magistratum gessisse, ita ut per duos huius anni menses primos collega fuerit Alexandri praetoris. Philocrates igitur et Megartas proximis annis ante 200 (dico annos inde a 206 usque ad 200 a. Chr.) adsignandi sunt. atque eadem fere aetate Hybrias quoque ille magistratum gessit, qui Eucle et Xenone sacerdotibus (Wescher-Foucart l. c. 407) archon fuit. cum enim Xenon usque ad a. ol. 149, 4 (181/0 a. Chr.) vixerit neque eum plus 25—30 annos sacerdotio functum esse veri simile sit, Hybrias inter annos 206 (210) et 198 archon fuerit necesse est. idemque valet de archonte Euangelo, qui στραταγέοντος Ἀγήτα τὸ δεύτερον una cum Euclida et Xenone sacerdotibus nominatur apud Wescherum et Foucartium n. 384 (cf. A. Mommsen l. c. p. 7, 10). si autem recte ad annos inde a 206 (vel 210) usque ad 198 rettulimus Mantiam Hybriam Euangelum Philocratem Megartam, iam difficilius adeo adducemur, ut isdem annis (204—199) etiam tres illos catalogorum archontes adsignemus. consulto autem adhuc argumentum omisi, quod me non primo loco posuisse fortasse quis miretur, titulorum dico ordinem, quem Wescher et Foucart exhibuerunt. eos enim titulos illos non ex arbitrio hoc ordine edidisse, sed quod in muro Delphico ita sese excipiunt, facile suspicari possumus, quamquam ipsi nullum de hac re verbum fecerunt. nolebam tamen quicquam huic

---

unumquemque praetorem Aetolorum, tertio anni Delphici mense creatum, per decem menses una cum eiusdem olympiadis anni archonte Delphico, per duos menses una cum insequentis anni archonte in magistratu fuisse compertum habeamus. at a. ol. 145, 3 Orthaeum Delphis archontem fuisse certum est (A. Mommsen l. c. p. 27.): reliquum igitur est, ut ante a. ol. 145, 3 (200/199 a. Chr.) Alexandrum praetorem fuisse censeamus. neque vero multis ille annis ante ponendus est; a. enim 193 cum decreto Romanorum CIG 3045 asylum Teium confirmetur, ad Aetolos quoque non multis annis ante de eadem re legatos Teios missos esse suspicari possumus; neque multo plus decem annis alteram Alexandri praeturam (a. 196/5) a prima abfuisse veri simile est.

argumento tribuere, cum ipse Foucart (Mémoire sur l'hist. et les ruines de Delphes. Arch. d. miss. scient. II 2 p. 88) titulos in muro non semper ex annorum ordine exaratos esse dixisset. verum nisi certis argumentis rem aliter se habere demonstratum est, ordini, quo singuli tituli traditi sunt, profecto auctoritas quaedam tribuenda esse videtur. atque extare videntur indicia, quibus re vera et titulos et archontes se hoc ordine (ut Aristagoram Emmenidas Nicodamus Cleondas sequerentur) excepisse comprobetur. eadem enim in singulis tabulis leguntur nomina: in I. et II. 13 (14), in II. et III. 16 (18), in I. et III. 8, in I. et IIII. 10, in II. et IIII. 6, in III. et IIII. 6 (7). idemque efficitur eorum nominibus numeratis, qui in binis tantum catalogis leguntur. quorum reperias in I. et II. 7, in II. et III. 12 (13), in I. et III. 2, in I. et IIII. 5 (6), in II. et IIII. 4, in III. et IIII. 3 (4). unde iam manifestum est titulos I. II. III. re vera inter se proximos esse. quos si quis inverso ordine collocare maluerit (III. II. I.), non habeo, quod opponam, nisi alterum ordinem ab editoribus exhiberi. sed Emmenidas semper medium locum tenet inter Aristagoram et Nicodamum, itaque archon a. 197/6, qui medius est inter Orthaeum et Orthaeum Mantiae filium, non potest fuisse[1]). inde autem, quod Κηφισόδωρος Καλλίου Βοιώτιος in catalogo I. (l. 56) et II. (l. 63) διδάσκαλος κωμῳδῶν, in catalogo autem IIII. χορευτὴς κωμικός (l. 76) est, nihil ad titulorum ordinem definiendum colligi potest, cum Θύρσος Κρίτωνος Ἐφέσιος in catalogo II. χορευτὴς κωμικός, in catalogo IIII. (l. 64) διδάσκαλος κωμῳδῶν dicatur[2]). sed satis de

---

[1]) Multo potius quam de horum trium catalogorum ordine dubitari potest, num quartus catalogus recte post tertium collocatus sit, cum decem in eo nominentur homines, qui in primo, sex, qui in altero, sex septemve, qui in tertio iterum commemorantur. quibus numeris si quis tantum tribuere velit, catalogum IIII. ante primum collocandum esse suspicetur licet; quae res ad aetatem titulorum constituendam nullius est momenti. quod si is quem Bücher proposuit archontum ordo, illum dico, quo singuli hoc modo inter se excipiunt: Nicodamus Cleondas Aristagoras Emmenidas, nobis comprobatur (l. c. p. 172 adn.), res ita se habet, ut catalogi I. et II. 6 (7), II. et III. 10, III. et IIII. 13, I. et III. 8, I. et IIII. 16 (18), II. et IIII. 6 nomina communia exhibeant. sed iure mireris, quod post quinque annos ex isdem hominibus 16 iterum in scaenam prodeant, cum post unum annum non plus 6, post duos non plus 8 redierint.

[2]) Nonnulla ad ordinem, quem Wescher et Foucart exhibuerunt, defendendum A. Mommsen l. c. p. 220 sq. sibi indagasse visus est, minoris autem momenti ea esse ipse concedit. notandum tamen videtur, quod Φιλωνίδης τοῦ Αριστομάχου Ζακύνθιος, qui aetate illa collegii sacerdos fuit, in tabula prima

singulis artificibus dictum videtur. neque enim ignoro numeris antea propositis totam quaestionem non expediri, quippe cum casu fieri potuerit, ut nonnulli artifices, qui primo anno Soteriis interfuerant, altero aliis locis versarentur, tertio iterum Delphos redirent. sed ubi graviora desunt argumenta, profecto levioribus uti debemus, neque ad artificiosas explicationes recurrere nobis licet nisi necessitate coactis. iam cur Emmenidas in quattuor illorum archontum serie ultimo loco ponatur, cum nulla idonea cogitari causa possit, neque propterea ille idem fuerit atque archon a. 197/6, ad tertium a. Chr. saeculum catalogi referendi sunt. neque habemus, cur illa aetate Emmenidam quendam Delphis archontis munere functum esse negemus[1]). nam usitatissimum est ibi Emmenidae nomen et post a. 197/6 duos alios Emmenidas in magistratu fuisse compertum habemus (cf. Bull. de corr. hell. VI 225). iam vero cum altero a. Chr. saeculo tres Emmenidas archontes fuisse sciamus, num tertio quoque saeculo Emmenidam quendam hunc magistratum gessisse audacius videtur statuere? inquiramus igitur, quibus tertii saeculi annis tribui possint artificum indices[2]). quam rem ut expediam, primum de

---

inter comoedos enumeratur (v. 47,) in ceteris vero eum in scaenam prodiisse iam non refertur.

[1]) A. Mommsen Phil. XXIIII 20 adn. 47 in titulis Delphicis quinque commemorari dicit archontes, quibus Cleodamus nomen fuit, tres, quibus nomen Euangelus.

[2]) Sauppe, qui primus de Emmenidae aetate accuratius egit, alius generis adtulit argumentum, quo catalogos Soteriorum ad tertium saeculum referendos esse demonstraret. quod argumentum mihi quoque minime videtur neglegendum. scimus enim ex titulo Teio saeculi alterius parte priore scripto ea aetate τὸ κοινὸν τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν τῶν ἐπ' Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου Delphos ad celebranda Soteriorum certamina vocatum esse; cf. CIG 3067 (Lüders p. 177 n. 83): οὓς καὶ ... πάντες Ἕλληνες τιμῶσιν, δεδωκότες τήν τε ἀσυλίαν καὶ ἀσφάλειαν πᾶσι .... κατακολουθοῦντες τοῖς τοῦ Ἀπόλλωνος χρησμοῖς, δι' οὓς καὶ τοῖς ἀγῶσι τοῖς τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Πυθίου καὶ τῶν Μουσῶν τῶν Ἑλικωνιάδων καὶ τοῦ Ἡρακλέους ἐν Δελφοῖς μὲν τοῖς Πυθίοις καὶ Σωτηρίοις, ἐν Θεσπιαῖς δὲ τοῖς Μουσείοις, ἐν Θήβαις δὲ τοῖς Ἡρακλείοις ἐνέκριναν αὐτοὺς οἱ ἐκ πάντων τῶν Ἑλλήνων εὐσεβέστατοι. quae verba quo modo intellegenda essent, optime demonstravit Lüders l. c. p. 82 sq.; idem cum hoc titulo coniungendos esse vidit multos illos titulos Tei repertos (Le Bas-Waddington As. min. 60—85), quibus civitates Graecae Teiis privilegia quaedam decernunt vel confirmant, in primis Aetolorum decretum CIG 3046 (Le Bas-Waddington l. c. 85, Cauer Del.² 238), quod ante a. ol. 145, 2 (198/7 a. Chr.) scriptum esse antea dixi. iam cum hic Aetoli decernant τὰ ψαφίσματα τὰ πρότερον γεγονότα αὐτοῖς περὶ πάντων τῶν φιλανθρώπων κατάμονα εἶμεν et paulo infra addant: καθὼς καὶ τοῖς Διονυσιακοῖς τεχνίταις ὁ νόμος τῶν

hieromnemonibus, qui singulis catalogis praescripti sunt, nonnulla dicam necesse est. etenim Dittenberger (Syll. p. 285 ad tit. 184) a. 229/8 sedecim, 228—216 undecim, 216—189 novem hieromnemonas Aetolicos fuisse existimat. quae si vera essent, catalogi Soteriorum, in quibus novem semper nominantur hieromnemones Aetolici, ante a. 216 scripti esse non possent. at cum is causas, quibus commotus sic statuerit, nobiscum non communicaverit ipseque coniecturam suam pro certa venditare nolit, me argumenta illa, quae, ut hunc ordinem statuamus, nos cogant, non intellexisse ingenue fateor. et quasdam ex coniecturis illis falsas esse tituli nuper reperti demonstraverunt. scimus enim aetatem fuisse, qua Aetoli 14 hieromnemonas in Amphictyonum concilium miserunt (archonte Callia, cf. tit. Bull. de corr. hell. VII 417). unde veri simile est etiam in titulo illo, qui apud Wescherum et Foucartium est alter (Nicarcho scriptus archonte), quem titulum Dittenberger a. 229/8 adsignavit, non 16, sed 14 hieromnemonas esse numerandos (cf. Bürgel l. c. p. 94, adn. 28). deinde a. 194/3 archonte Pythagora non novem, sed septem hieromnemonas Aetolicos fuisse nunc scimus e titulo Bull. de corr. hell. VII 422 n. IIII. vides iam omnino deesse fundamentum, cur a. 197/6 archonte Emmenida novem hieromnemonas Aetolicos in concilio fuisse sumamus. immo, si respicimus a. 194/3 praeter Aetolos et Delphos duos Phocenses totidemque Boeotos, Emmenidae autem anno nullum Phocensem, nullum Boeotum, contra Histiaeensem unum inter hieromnemonas nominari, potius inter duos illos archontes longius intervallum intercessisse statuendum esse videtur. ad definiendum autem tempus, quo primum novem hieromnemones Aetolici fuerint, omnia, quantum ego

---

Αἰτωλῶν κελεύει, manifestum fit iam antea commercium quoddam et necessitudinem inter Aetolos et Teios artificesque illos Dionysiacos, quorum sedes Teos fuit, intercessisse. his autem artificibus talia privilegia data esse eo tempore, quo ad celebranda Soteriorum certamina vocata sunt, quam maxime probabile est. a. igitur fere 200 a. Chr. Teium artificum collegium musicis Soteriorum ludis interfuisse statuendum est. at recte Sauppe l. c. p. 13 monuit artifices, qui in catalogis recensentur, Teii collegii non esse; inter 217 enim homines Teium esse neminem, ex Asia oriundos undecim, reliquos omnes ex Graecia ipsa, paucos ex insulis: veri similius igitur videri artifices in quattuor his catalogis enumeratos collegio Attico adscriptos fuisse, cum 31 Athenienses, unus Salaminius nominentur. itaque hac quoque de causa nihil relinquitur nisi ut catalogos saeculo tertio adscribamus et initio quidem Atticum vel aliud Graeciae collegium musica Soteriorum certamina obiisse, exeunte autem saeculo tertio Amphictyonas Teios artifices ad ludos edendos invitasse statuamus.

video, desunt indicia. inde enim quod unum alterumve hieromnemonum nomen in pluribus invenitur decretis, nihil potest colligi, cum saepissime eiusdem nominis homines diversis temporibus in titulis Delphicis commemorari satis constet. quod vero Dittenberger l. c. collatis Polybii verbis IIII 25, 6 sq. inde a Demetrii demum morte (229 a. Chr.) rerum Amphictyonicarum arbitrium penes unos Aetolos fuisse statuit ideoque ante a. 229 non plus quinque Aetolorum inter hieromnemonas fuisse adfirmat, mihi minime probatur. etenim initio saeculi tertii Aetolorum potentiam summam fuisse scimus. qui iam a. ol. 122, 3 (290 a. Chr.) Delphos in potestatem suam receperunt et inde ab eo tempore usque ad initium saeculi alterius eos retinuisse videntur [1]. adde quod in bello contra Gallos gesto in primis illi de Graecorum libertate optime meriti sunt; unde annis 280—250 a. Chr. foedus Aetolicum quam latissime propagatum est [2]. et per omne id tempus duobus vel quinque suffragiis contentos eos fuisse, tum autem a. 229/8, cum iam a summo potestatis fastigio delabi coepissent, 14 suffragia sibi adrogasse num quaeso veri speciem habet? atque ut concedamus a. 229/8 Aetolos 14 vel 16 suffragia habuisse, nonne veri simillimum est paulatim tantum foedere magis magisque propagato eos hunc suffragiorum numerum sibi adrogasse, ita ut antea per quoddam temporis spatium quinque vel septem vel novem vel undecim hieromnemonas in concilium miserint? [3]. nihil autem obstat, quominus hieromnemonum Aetolicorum numerum saepius variasse suspicemur ita, ut (liceat mihi exemplum proponere) a. 260 novem et a. 200 iterum novem, aut a. 250 septem et iterum a. 194 septem Aetolos concilio Amphictyonum interfuisse statuamus. quod, cum luculentum nobis ita eripiatur aetatis indicium, aegre concedimus, at tamen debet concedi. verum non dubito, quin novis titulis Delphicis inventis tota haec quaestio ad liquidum ut perducatur futurum sit. nunc vero, cum certam aetatis notam ex hieromnemonum numeris nondum elicere possimus, alia circumspectanda erunt argumenta. ac titulis musicis iterum et saepius

---

[1]) Kuhn Entstehung der Städte p. 110.

[2]) Pluribus hanc rem exponere non huius loci est; cf. in primis Kuhn l. c. p. 108 sq., Dubois Les ligues étolienne et achèenne Paris (1885) p. 26 sq.

[3]) cf. Foucart Bull. de corr. hell. VII 437 sq.; ne nimis a rebus, quas mihi tractandas proposui, recedam, satis habeo haec breviter tetigisse. quo modo ipse de concilii Amphictyonici compositione statuam, accuratius explicare fortasse alio loco mihi licebit.

pervestigatis nomina nonnulla, quae in Soteriorum catalogis recensentur, in aliis quoque similis generis titulis recurrere vidi. veluti in Soteriorum catalogo III. v. 58 inter comoedos primus nominatur Τελέστης Θεοκλείδου Ἀθηναῖος, in titulo choragico Delio inter artifices, qui Dionysiis a. 286 interfuerunt, recensetur κωμῳδὸς Τελέστης Ἀθηναῖος (Bull. de corr. hell. VII 104 n. I v. 19); in Soteriorum catalogo II. v. 14 inter tibicines enumeratur Σωκράτης Σωχάριδος Ῥόδιος, in titulo choragico saeculi tertii parte priore scripto (Ἀθηναίου V 330 n. 12; cf. p. 85 n. IIII v. 4) Σωκράτης Ῥόδιος tibicen scriptus est; in Soteriorum catalogo IIII. v. 16 invenitur αὐλητὴς Ἱπποκλῆς Μίκκωνος Βοιώτιος, in titulo choragico a. 281/80 (Mitth. d. d. arch. Inst. 1884. p. 49; cf. p. 84 n. I) legimus haec: Ἱπποκλῆς Βοιώτιος ηὔλει; eiusdem Soteriorum catalogi v. 17 scriptum est: διδάσκαλος αὐλητῶν· Λύσιππος Ξενοτίμου Ἀρκάς; in titulo choragico CIG 226 (cf. p. 85 n. III) invenimus haec: Λύσιππος Ἀρκὰς ἐδίδασκεν (a. ol. 127, 2 = 71/70 a. Chr.). quattuor igitur hominum, quos Athenis inter annos 290 et 270 versatos esse scimus, nomina cum in Soteriorum catalogis recurrant, nonne utroque loco eosdem homines significari veri simile est? at, dicat quis, saepe in artificum familiis avi nepotesque patres filiique isdem designati sunt nominibus. libenter concedo, atque in Telestis Atheniensis comoedi familia hoc accidisse facile credo. sed cum intra a. 290 et 270 Socrates Rhodius tibicen, Hippocles Boeotus tibicen, Lysippus Arcas chorimagister una Athenis vixissent, post quadraginta vel quinquaginta annos iterum Socratem quendam Rhodium tibicinem, Hippoclem quendam Boeotum tibicinem, Lysippum quendam Arcadem chori magistrum Delphos convenisse minime probabile est. miros saepe fortunae esse casus dices. at cur fortunae ludibria in auxilium vocemus, si aliter res possunt explicari? iam vero alia quoque possunt adferri, quae, cum minoris sint momenti, verbo tetigisse satis habeo[1]: veluti Pronomus Diogitonis Boeotus, qui

[1]) In hanc notam audaciorem relegavi coniecturam. antea titulum choragicum adtuli, quem Koehler Mitth. d. d. arch. Inst. III 250 edidit et hunc in modum supplevit: (Ἀκα)μαντὶς πα(ίδων ἐνίκα) | Δείνων Αἰγι(λιεὺς ἐχορήγει) | Κλεάριτος . (. ἐδίδασκε). sed cum Αἰγιλιὰ non Acamantidis pagus sit, versum alterum non recte suppletum esse patet. Koehler titulum propter litterarum formas medio saeculo quarto recentiorem esse dicit. neque video, cur non ad agonothesiae institutae aetatem possit referri. iam cum in Soteriorum catalogo III. v. 28 tibicen Δείνων Ἡρακλείδου Αἰγινήτης nominatus sit, v. 2 fortasse ita supplendus est: Δείνων Αἰγι[νήτης ηὔλει].

in Soteriorum catalogo II. v. 80 διδάσκαλος dicitur et sine dubio chororum, qui antea commemorati sunt, magister habendus est, componi potest cum titulo illo choragico a. 271/270 (cf. p. 85 n. II), ubi haec legimus: Πρόνομος Θηβαῖος ἐδίδασκε; Aristocrates Sotionis Acarnan, qui inter tragoedos nominatur in Soteriorum catalogo III. v. 54, filius aut pater esse potest Sotionis Acarnanis tragoedi, qui Dionysiis Deli a. 261 interfuit (Bull. de corr. hell. VII p. 114 n. VIII v. 21). his igitur indiciis nisus catalogos Delphicos fere intra a. 275 et 255 scriptos esse conicere audeo: quam quidem sententiam iam antea homines docti nonnulli protulerant neque tamen argumentis gravioribus comprobaverant; unum autem recte monuerunt (Lüders l. c. p. 113, A. Mommsen l. c. p. 222), id quod sane haud magni momenti est, magnum ludorum splendorem, quem artificum indices demonstrant, potius sollemnia nuper demum instaurata esse indicare videri. quominus autem quattuor illas tabulas ad primas Soteriorum celebrationes referamus, obstat Amphictyonum decretum lapide Attico servatum CIA II 551, cui praescripta sunt Aetolorum hieromnemonum nomina duo, duo Boeotorum, Phocensium duo. iam si recte Paus. X 8, 3 Phocenses a. 345 foedere Amphictyonico exclusos a. demum 279 iterum in foedus receptos esse tradit, decretum illud non ante a. 279 factum esse patet (cf. Koehleri adnot. l. c.): si autem a. 279 aut paulo post duo tantum hieromnemones Aetoli fuerunt, contra in catalogis novem Aetoli praescripti sunt, aliquot annos inter 279 et tabularum illarum aetatem intercessisse ut statuamus necesse videtur. quot vero annis post a. 279 hieromnemonum Aetolicorum numerus ita immutatus sit, in hac re diiudicanda omnibus indiciis argumentisque destituti sumus. possit certe aliquis de a. 272 a. Chr. cogitare, quo Pyrrho rege mortuo summa res publica Aetolorum cepit incrementa (cf. Dubois l. c. p. 30); neque vero hanc quaestionem nisi in transcursu tangere possum, quippe quae omnibus demum testimoniis diligenter excussis expediri possit. quod si breviter omnia, quae adhuc disputavi, comprehendam, dicam in Amphictyonum nominibus singulis catalogis praescriptis nihil inesse, quo coniectura mea probetur, neque vero quicquam, quo refutetur. itaque antequam novis titulis repertis aut eis, qui adhuc inventi sunt, accuratius excussis certiora de concilii Amphictyonici compositione edoceamur ac demonstretur fieri non potuisse, ut a. 275-255 novem Aetoli inter Amphictyones essent, ea aetatis definitio, quae illis artificum nominibus commendatur, retinenda esse videtur.

Ne vero quid neglexisse videar, restat, ut de duobus argumentis verba faciam, quae ad aetatem definiendam alicuius momenti esse videntur et a Dittenbergero quoque in usum vocata sunt. haec enim ille Syll. p. 593 (ad n. 404) dicit: 'Magnam inter initia ludorum et eam, cuius hi catalogi sunt, aetatem intercessisse ipsarum feriarum mutationem manifestum est: nempe tituli 149 et 150 [1]) docent initio Soteria Delphis quidem habita esse, sed Aetolorum nomine; hic vero praescripta hieromnemonum nomina docent Amphictyonas eis praefuisse. quae mutatio facta esse nequit, antequam Amphictyoniae Delphicae arbitrium penes unos Aetolos esset, i. e. ante a. 229 a. Chr.' at si Aetoli a. 276 Delphis ex suo arbitrio ludos instaurare potuerunt, nonne iam tum in sacris Delphorum rebus summam eorum auctoritatem fuisse patet? nonne ea de causa Aetoli pro communi Graecorum salute ludos illos instituere potuerunt, quod re vera primas partes inter Amphictyones agebant? si vero catalogis novem Aetolorum, duo Delphorum et unius aut nullius alius populi hieromnemonum nomina praescripta sunt, nonne patet hoc nihil esse nisi inanem speciem foederis Amphictyonici? sed ut Pythiorum sollemnibus, sic Soteriorum quoque certaminibus praesides praescribuntur hieromnemones, cum Soteria dignitate aequiperare Pythia voluerint Aetoli; Aetoli autem cum in concilio Amphictyonico illa aetate re vera soli opibus et auctoritate florerent, suo ipsorum nomine ceteras gentes ad ludos celebrandos invitare, hieromnemonum autem nomina catalogis praescribere poterant [2]). quam Aetolorum potestatem cur demum ab a. 229 repetamus, causam non esse antea dixi. iam cum hoc argumento alterum arte coniunctum est. coniecit enim Dittenberger eodem tempore, quo ludorum cura „ab Aetolis ad Amphictyonas“ translata esset, Soteria e sollemnibus pentaetericis annua facta esse. singulos enim catalogos non singulorum quadrienniorum spatio inter se distare cum ex nomine Antigenis Chalcidensis, quod inter pueros choreutas in omnibus tabulis recurrit (1, 20; 2, 20; 3, 30; 4, 23), tum ex aliis

---

[1]) Titulus Atticus CIA II 323 et titulus Chius Bull. de corr. hell. V 300 sq., quos antea commemoravi.

[2]) Indices artificum non Amphictyonum, sed ipsius artificum collegii cura lapidibus inscriptos esse patet. re vera tamen omnes, qui tunc Delphis aderant, hieromnemonas praescriptos esse et casu tantum vel neglegentia factum esse, ut unum alterumve nomen intercideret, veri simile est. nulla enim erat causa, cur Histiaeorum hieromnemo bis (in catalogis I. et II.) nominaretur, aliarum autem gentium legati omitterentur.

indiciis homines docti rectissime collegerunt[1]). catalogorum igitur aetate aut trieterica aut annua erant Soteria. atque quamvis fieri potuisse, ut puer etiam per septem octove annos inter pueros choreutas fungeretur, concedamus, ita ut de sollemnibus trietericis cogitari possit, probabilius tamen esse videtur Soteria eo tempore, quo tabulae illae scriptae sunt, quotannis celebrata esse[2]). iam cum in Chiorum illo plebiscito fere a. 276 facto (Dittenberger Syll. 150) v. 28 decernatur: γίνεσ[θαι δὲ εἰς τὸ λοιπὸν] τὴν ἀπόδειξιν τῶν θεωρῶν καθ' ἑκάστην πενταετηρίδα, ὅταν καὶ ...., initio Soteriorum certamen pentaetericum fuisse homines docti statuerunt. sed Chios non unoquoque anno theoros missuros fuisse, etiam si singulis annis Soteria acta essent, suspicari licet. et facile conicere possumus unoquoque quidem anno agonas actos, sed quinto quoque anno maiorem exterarum legationum conventum fuisse et maiore cum apparatu sacrificia habita, fortasse ludos quoque maiore cum splendore institutos esse[3]). nihil igitur prorsus certi ex theororum Chiorum electione de tempore, quo singula sollemnia se exceperint, concludi posse videtur. si autem re vera Soteria initio pentaeterica, postea annua fuisse concedere volumus, hanc mutationem aut quinque aut quinquaginta annis post certamen institutum factam esse posse nemo negabit.

Iam cum de titulorum illorum aetate satis superque dixerim, paucis, quae ratio inter Pythia et Soteria intercessisse videatur,

---

[1]) Id quod non perspexit Haussoullier Bull. de corr. hell. V 313 adn. 2, qui singulos catalogorum archontes quaternis annis inter se distare dixit.

[2]) Certe ea res discerni nequit, cum ignoremus, utrum inter quattuor illas Soteriorum celebrationes, quarum memoriam catalogi servarunt, alia quoque ludorum celebratio, cuius catalogus interciderit, acta sit necne. Bürger l. c. p. 172, cum sollemnia trieterica, Emmenidam autem archontem a. ol. 145, 4 putaret, ad coniecturas artificiosas confugere coactus erat, quas pluribus refellere iam non necessarium videtur. nihil profecto ad eam quaestionem dirimendam titulus Acraephiae repertus (CIG 1587; cf. App. XIIII.) valet, in quo legimus: ἀγωνοθετοῦντος .....τῶν τριετήρων Σωτηρίων πρῶτον ἀπὸ τοῦ πολέμου; qui titulus saeculo primo a. Chr. scriptus ad Soteria spectat prorsus diversa. sed haec quoque quaestio novis demum titulis inventis fortasse solvi poterit.

[3]) Discrimen, quod inter singulorum catalogorum ludos intercedit, non tantum est, ut unum alterumve maioribus, ceteros minoribus quibusdam sollemnibus adsignare liceat. suspicatur quidem A. Mommsen Delph. p. 222 musica certamina unoquoque anno, gymnica quinto quoque anno acta esse; neque vero adsunt argumenta, quibus haec coniectura probari possit. in catalogis servatis, cum non publice sed ab artificum Dionysiacorum collegio exarati sint, gymnicos victores semper omissos esse consentaneum est.

exponendum est. eodem anno, quo Pythia celebrata sunt, Soteria quoque acta esse titulus CIG 1689 *b* Nicodamo Delphorum archonte scriptus demonstrat, cui temporis nota praescripta est v. 6: Πυθίοις. hunc Nicodamum eundem esse ac Nicodamum illum, qui catalogo tertio praescriptus est, inde patet, quod in utroque titulo idem nominantur hieromnemones[1]). iam cum Pythia mense Bucatio (qui Metagitnioni Attico respondet et alter anni Delphici mensis est) celebrata esse constet, Soteria autem Nicodamo archonte eodem semenstri spatio acta esse hieromnemonum nomina eadem omnia demonstrent, veri simile est tertio quoque olympiadis anno Pythia et Soteria etiam in eosdem incidisse dies et communi nomine τὰ Πύθια καὶ Σωτήρια designata esse (cf. A. Mommsen l. c. p. 223). artissime autem utraque sollemnia coniuncta fuisse grammaticis quoque rationibus demonstratur; nusquam enim, ubi haec certamina una nominantur, τὰ Πύθια καὶ τὰ Σωτήρια dicuntur, sed uno articulo praemisso coniunguntur (A. Mommsen l. c. p. 224), cf. Wescher et Foucart l. c. 13: εἶμεν δὲ αὐτὸν καὶ θεωροδόκον τῶν Πυθίων καὶ Σωτηρίων, n. 452: θεωροδοκίαν τῶν τε Πυθίων καὶ Σωτηρίων, CIG 1693: θεωροδοκίαν τῶν τε Πυθίων καὶ Σωτηρίων, CIG 3067 l. 20: [ἐν Δελφοῖς μὲν τοῖς] Πυθίοις καὶ Σωτηρίοις[2]).

De singulis, quae in catalogis commemorantur, certaminum musicorum generibus pluribus exponere nolo, cum Foucart Lüders A. Mommsen optime de his rebus disputaverint. unum monere volo, quod fugisse videtur homines doctos. si in catalogis post tibicines nominantur διδάσκαλοι, eos non ad tibicines referri posse patet, sed coniungendi sine dubio sunt cum choris puerorum et virorum. cum vero choros illos non sine ullo fidium aut tibiarum cantu carmina pronuntiasse consentaneum sit, hi autem musici in indice, quo vel choreutae cómici et vestiarii enumerantur, omitti non potuerint, tibicines quoque, quorum in singulis titulis mentio fit, ad choros puerorum virorumque referendos esse consentaneum videtur. quae coniectura eo firmatur, quod αὐληταὶ et διδάσκαλοι modo

---

[1]) E decreto Attico Polyeucto archonte Elaphebolione mense (ol. 125, 4, vere a. 276 a. Chr.) facto de prima Soteriorum celebratione nihil prorsus certi potest colligi. iniuria igitur Haussoullier Bull. de corr. hell. V 315 sq. Soteria prima ol. 126, 1 et deinde primo quoque olympiadis anno acta esse adfirmat.

[2]) cf. etiam titulum illum, cuius mentionem fecit Haussoullier l. c. p. 313 adn. 1, ubi haec legimus: ἐπειδὴ ἐπανελθόντες θεωροὶ οἱ ἀποσταλέντες ἐπὶ τὴν ἐπαγγελίαν τῶν Πυθίων et postea v. 13: τήν τε ἐπαγγελίαν καὶ τὸν ἀγῶνα τῶν Σωτηρίων.

ante choros (in catal. IIII. v. 15 sq., cf. II. v. 14; III. v. 16), modo post choros (in catalogo I. v. 28) commemorantur[1]). eodem igitur modo, quo in titulis choragicis Atticis tribus victrix, tibicen, chori magister nominantur, hic quoque χορὸς ἀνδρῶν et χ. παίδων, αὐληταὶ et διδάσκαλοι enumerantur. magistri illi in Soteriorum catalogo IIII. v. 17 διδάσκαλοι αὐλητῶν dicuntur, quibus verbis magistri significati sunt, aut quia tibicinibus quasi addicti erant, aut potius quia magistri erant ἀνδρῶν αὐλητῶν et παίδων αὐλητῶν, cf. supra p. 59. cum vero assarum tibiarum cantum Soteriis prorsus defuisse veri simile non sit, statuendum videtur eosdem tibicines primum inter se assis tibiis cantasse et deinde choris illis succinuisse. id quod summos quoque tibicines fecisse demonstrant ea, quae Chares (Ath. XII 538 sq.) de certaminibus ab Alexandro Susis institutis narrat: παρῆλθον δὲ καὶ αὐληταί, οἳ πρῶτον τὸ πυθικὸν ηὔλησαν, εἶθ' ἑξῆς μετὰ τῶν χορῶν Τιμόθεος Φρύνιχος Καφισίας Διόφαντος, ἔτι δὲ Εὔιος ὁ Χαλκιδεύς. qui locus eo maioris momenti est, quod in ceteris quoque rebus agones illi Alexandri quam maxime cum Soteriorum certaminibus congruunt; nam Susis in scaenam prodierunt ῥαψῳδός, ψιλοκιθαρισταί, κιθαρῳδοί, αὐλῳδοί, (qui in Soteriorum agonibus non certabant), αὐληταί, αὐληταὶ μετὰ χορῶν, τραγῳδοί (tres), κωμῳδοί (tres), ψάλτης. si igitur in catalogo II. v. 14 sq. recte tres nominati sunt tibicines, hos omnes inter se de praemio assis tibiis decertasse, duos postea choris succinuisse statuendum est.

Singulos virorum puerorumque choros ita divisos fuisse, ut quini artius inter se coniungerentur et certo loco unusquisque nominari soleret, acute perspexit A. Mommsen l. c. p. 218; quorum qui primo loco scripti sunt et maiore arte sine dubio excellere debebant, componi possunt cum illis hominibus, qui aliis locis κορυφαῖοι aut ἡγεμόνες dicuntur. quorum auctoritatem haud parvam

---

[1]) Artificum indices satis neglegenter exarati sunt ita, ut saepe nomina omissa sint aliaque subsint menda. in catalogo II. v. 14 sq. tres nominantur tibicines, nullus magister; at referendus est huc sine dubio ille διδάσκαλος Πρόνομος Διογείτονος Βοιώτιος, qui v. 80 additus est. in catalogo III. v. 16 unus nominatur tibicen, cui sine dubio addendus est αὐλητὴς Ἐπικράτης Ἀσώπωνος Βοιώτιος ultimo loco (v. 82) positus. in eodem catalogo post choros virorum unus scriptus est διδάσκαλος v. 47. in catalogo I. (v. 28 sq.) et IIII. (v. 15 sq.) bini tibicines et bini magistri nominantur. nihil autem obstat, quominus saepe eundem hominem et puerorum et virorum choros docuisse statuamus.

fuisse testatur Demosth. XXI 60: Ἀριστείδης Οἰνηῖδος φυλῆς . . . ὃς νῦν μὲν καὶ γέρων ἐστὶν ἤδη καὶ ἴσως ἥττων χορευτής, ἦν δέ ποθ' ἡγεμὼν τῆς φυλῆς [κορυφαῖος]· ἴστε δὲ δήπου τοῦθ', ὅτι τὸν ἡγεμόν' ἂν ἀφέλῃ τις οἴχεται ὁ λοιπὸς χορός. idem demonstrat titulus Hermionae repertus CIG 1212, quo de unius hominum illorum vita paulo accuratius edocti sumus. carmen misere habitum post Boeckhium (CIG 1212) Kaibel et Wilamowitz hunc in modum restituere conati sunt (Epigr. Graec. 926):

Παν]τακλῆς μ' ἀνέθηκεν, ἀδελφεός εἰμι δ' ἐκείνου
Πυθο]κλέης πλείστων ἀντιτυχὼν ἀέθλων·
ἑλλαδικαὶ ν]ῖκ[αι] τ[ρεῖς] καὶ δέκα, τὰς [Νεμέῃ τε [1])
καὶ π]αρὰ [Π]ειρή[νην] Κασταλίαν τ' ἔλ[α]βον.
τρεῖς δ' ἔτι καὶ Ζεὺ]ς οἶδε[ν] Ὀλύμπ[ι]ος, ὥς ἐτύμας [τοι
εἰπεῖν ἐξ ἱ]εροῦ [φθ]εγγόμενος στόματος [2])·
ἄσπετα δ' ἄλλων φ]ῦλ' οὐ[κ ἄ]ν τις ἀ[ρ]ι[θ]μήσειεν,
οὓς ἂν Ἀχαιΐδα] γῆ[ν ἠ]γαγόμ[η]ν στεφάνους·
ἀλλ' ὁπόσ' αὐλῳ]δός τε καὶ ἐγ κυκλίοισι χοροῖσιν
ὅσσα τε κωμῳ]δός (?), ταῦτα καταγράφεται,
ἡνίκα Βοιωτῶν] με[π]αν[ήγυ]ρι[ς] ἐστεφάν[ω]σεν.
. . . . πρῶτ' ἀ[π]ε[ν]εγ[κά]μεν[ον].
χὠ] στέφανος Μούσαις Ἑλι[κω]νίσι καὶ Διονύσ[ῳ]
Κ]αδμείωι, τρίτατ' ἦν κῦδος ἐμοῖς γενέταις·
καὶ βασιλεῖς δώροισί [μ]' ἐτίμησαν τὸν ἀοιδόν
υ]ἱὸν Ἀριστάρχου, θεοῖς φίλον Ἑρμιονῇ.

Hunc igitur Pythoclem Hermionensem eundem esse atque illum, qui in Soteriorum catalogo II. v. 29 in virorum choro primus scriptus est, et Pantaclem ibi commemoratum eius fratrem esse, qui Hermionae statuam posuit, perspexit Kaibel l. c.; reportaverat igitur homo ille, artifex huius aetatis, ut videtur, non prorsus ignobilis, victorias et Nemeis (v. 3) et Isthmiis; idemque non sine gloria interfuit ludis Delphicis et in primis Boeotis, quorum e numero Musea Thespiensia Liberaliaque Thebana nominat (v. 13) denique apud reges (Macedoniae, ut equidem conicio) quoque versatus donisque ornatus est (v. 15). quod idem auloedus fuit et

---

[1]) Restitutio certa videtur; ea enim quae Boeckh coniecerat: τὰς (ἐ)ν(ί) Πί[σσῃ], nullo modo possunt probari.

[2]) Vv. 5 et 6 quomodo intellegendi sint, incertus haereo. de victoriis Olympiae reportatis cogitari nequit, nisi forte Pythoclem praeconem quoque fuisse putamus.

choris in cycliis cantavit, facile intellegimus; sed iure miramur, quod idem etiam comoedus nominatur (v. 10), cum potius eum etiam citharoedum fuisse exspectemus collato titulo Delphico, quem mox infra proponam, in quo κιθαρῳδὸς Τυραννίας nominatur simul ἡγεμὼν ἀνδρῶν. attamen, si ii, qui lapidem descripserunt, recte litteras ΛΟΣ sibi detexisse visi sunt, nihil restat, nisi ut aut κωμῳδὸς aut ῥαψῳδὸς suppleamus, quorum supplementorum utrum sit praeferendum, difficile est diiudicare. neque vero quibus in sollemnibus singulas suas artes exhibuerit, coniectura adsequi ullius est fructus.

Haec igitur ad Soteriorum catalogos illustrandos dicenda mihi esse videbantur. addam denique aliud catalogi fragmentum, ante hos duos annos Delphis repertum, quod editum est Eph. arch. ser. III. 1883. p. 161:

......ταν ἐξαποσταλέντα..............
μεας Πολίτα τοῦ 'Ασάνδρου, Νικαρέτου τοῦ 'Α...... ..τοῦ Πολεμ...
χ)ειμερινῶν Σωτηρίων, ὥστε καταγωνίξασθαι τω .... ιετη ΣΥ...
π)αρακαλειμένοις καὶ ἐξαπέστειλαν τοὺς ἀγωνιξομέ(νους...) ωι δωρεάν [1].
[αὐλητής?] [2]) Διονύσιος Θεοδότου Θηβαῖος,

---

[1]) Haec cum iam typis mandabantur, Vindobonam adlatus est ultimus fasciculus Ephemeridis archaeologicae Atheniensis anni 1884, in quo p. 218 A. Nikitsky hoc modo eum titulum supplendum esse coniecit:

πρεσβε]υτᾶν ἐξαποσταλέντω[ν........ ποτὶ τὸ κ]οινὸ[ν τῶν τεχνιτᾶν τῶν ἐξ 'Ισθμοῦ καὶ Ν]εμέας Πολίτα τοῦ 'Ασάνδρου, Νικαρέτου τοῦ 'Αν[τιχάρεος ...ο]υ τοῦ Πολεμά[ρχου ἐπὶ
τὰν ἐπαγγελίαν τῶν χ]ειμερινῶν Σωτηρίων, ὥστε καταγωνίξασθαι τῶι θε[ῶι.... ..ἐ]πιετη συ....
τοῖς π]αρακαλειμένοις καὶ ἐξαπέστειλαν τοὺς ἀγωνιξομέ[νους τῶι θε]ῶι δωρεάν.

quae supplementa optime excogitata sunt; etiam quod Nikitsky in v. 1 inserendum suspicatur εἰς Θήβας, veri simile mihi videtur. atque ipse, quia homines, qui in indice recensentur, Thebani fere omnes sunt, de collegio Thebano cogitaveram. quod si respexeris in quattuor illis Soteriorum catalogis, quos antea tractavi, esse Sicyonios XXV, Argivos VIII, Boeotos XXXXVIIII, suspicari possis hos quoque artifices Isthmiaci collegii sodales fuisse, cuius sodalicia aliquot minora Thebis Argis Sicyone aliisque ex urbibus conveniebant ad magna illa sollemnia celebranda. attamen, cum de hoc collegio saeculo tertio nihil compertum habeamus, res in medio erit relinquenda. τὸ κοινὸν τῶν τεχνιτῶν τῶν εἰς 'Ισθμὸν [καὶ Νεμέαν?] commemoratur in Amphictyonum decreto Delphico CIG 1689.

[2]) αὐλητής supplevi, cum mihi persuadere non possim in ludis Delphis habitis tibicini locum non fuisse et cum choris illis parvulis, qui vv. 9 sq. commemorantur, aliquem tibiis accinuisse satis veri simile sit.

κιθαρωιδὸς Τυραννίας[1]) Αὐτομήδους Θηβαῖος,
χορευταί·
Ξένων Δώρου Θηβαῖος,
Θεογείτων Κλειμήδου Θηβαῖος,
ἡγεμὼν παῖς Ἀρίστων Στράτωνος,
ἡγεμὼν ἀνδρῶν Τυραννίας,
χορευταί·
Ἀ)θηνοκλῆς Ξενοκλέους Θηβαῖος,
Εὐ)μήμων Τιμοκλέους Θηβαῖος,
κ)ωμωιδὸς Ἀπολλᾶς Φενεάτης,
συναγωνισταί·
Σ)ωτέλης Θεοκρίτου,
χορευταὶ κωμωιδοῦ·
Ξ)ενόλαος Σωσικράτεος Ὀπούντιος,
Μ)ύρτων Μηνοφίλου Θηβαῖος,
Ἀριστοκλείδας Θηβαῖος,
Μενεκράτης Σωπάτρου Θηβαῖος.

Initio tituli scriptum fuisse videtur artifices Dionysiacos ad celebranda certamina invitatos esse (καταγωνίξεσθαι ... παρακαλειμένοις) et misisse homines, qui δωρεὰν ludos ederent[2]). quae sollemnia sine dubio v. 3 significata sunt verbis χειμερινοῖς Σωτηρίοις; Delphis enim cives praeter magna illa Soteria ab universis Graecis celebrata tempore hiberno minora quaedam sollemnia egisse videntur[3]). aetas tituli quodam modo definiri potest, si Politam Asandri f., qui hic commemoratur, componere licet cum homine eiusdem nominis, cuius memoriam servavit titulus Delphicus (cf. Wescher et Foucart l. c. 234 a, Dittenberger Syll. 461): ἄρχοντος Ἀθάμβου τοῦ Ἁβρομάχου μηνὸς Ἰλαίου, ἐπὶ τοῖσδε ἀπέδοτο Διονύσιος καὶ Πολίτας οἱ Ἀσάνδρου τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Πυθίῳ σῶμα ἀνδρεῖον e. q. s. Athambum enim Habromachi filium archontem fuisse scimus eo tempore, quo Amyntas et Andronicus sacerdotes Apollinis fuerunt,

---

[1]) Idem sine dubio homo, qui v. 11 ἡγεμὼν ἀνδρῶν Τυραννίας dicitur; cf. in appendice tituli II. vv. 16 sq. et 31 sq.

[2]) Ita τὸ κοινὸν τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν τῶν ἐν Ἰωνίᾳ καὶ Ἑλλησπόντῳ Iasensibus mittit αὐλητὰς δύο, τραγῳδοὺς δύο, κωμῳδοὺς δύο, κιθαρῳδόν, κιθαριστήν, ὅπως συνάγωσιν τῷ θεῷ τοὺς χοροὺς κατὰ τὰς πατρίους αὐτῶν διαγραφάς (Le Bas As. min. 281 v. 15 sq., Lüders l. c. p. 181 n. 91); cf. Lüders l. c. p. 87 sq.

[3]) Inter varias, quae excogitari possunt, coniecturas haec mihi veri simillima videtur. magna enim illa Soteria etiam ea aetate maiore cum splendore acta esse demonstrat titulus Teius CIG 3067, ex quo altero quoque a. Chr. saeculo artifices Dionysiacos ex Asia ad Soteria agenda profectos esse scimus. ad enuntiatum χειμερινὰ Σωτήρια cf. Νέμεα τὰ χειμερινὰ Paus. II 15, 3, VI 16, 4.

qui quadraginta fere aut quadraginta duobus annis post 198 munus suum inierunt eoque per 4—6 annos communiter functi sunt (158/7 [156/5] — 154/3 vel 152/1 [152/1 vel 150/49]); cf. Bergk Philol. XXXXII 231 [1]). cui aetati bene convenire videtur catalogus artificum, quo non victores tantum, sed omnes, qui ludis interfuerunt, exhiberi cum ex verbis praescriptis tum e synagonistis, qui vocantur, et choreutis enumeratis manifestum fit. in scaenam igitur prodierant tibicen (?) unus, citharoedus unus, ἡγεμὼν παῖς et ἡγεμὼν ἀνδρῶν cum quattuor choreutis, comoedus unus cum synagonista, denique quattuor χορευταὶ κωμῳδοῦ. satis exigui igitur atque ignobiles hi ludi fuerunt. ἡγεμὼν παῖς cum praecentor, ut hoc utar vocabulo, choreutarum puerorum fuerit, χορευτὰς vv. 7 sq. commemoratos παῖδας χορευτὰς fuisse necesse est. quod si verum est, tum ἄνδρες χορευταί, quorum ἡγεμὼν fuisse Tyrannias v. 11 dicitur, duo illi homines vv. 13 sq. nominati, Athenocles et Eumemon, fuerunt. uterque igitur chorus e tribus hominibus constitisse videtur. ceteroquin virorum chori eodem modo quo in catalogis Soteriorum antea tractatis aliisque in titulis puerorum choros excipiunt. tragoedi autem cum prorsus desint, statim sequitur comoedus, quem excipit Σωτέλης Θεοκρίτου, συναγωνιστής; propter pluralem συναγωνισταί unum nomen post Sotelem omissum esse aliquis conicere possit. nonnumquam autem in eius modi indicibus pluralis ponitur, etiam ubi casu quodam unum nomen subscribitur (cf. Dittenberger Syll. 404, adn. 10). συναγωνισταὶ qui essent homines, diu dubitabant homines docti (cf. Boeckh CIG II p. 657 B, Le Bas-Waddington Asie min. Explic. p. 94, Foucart De scaen. artif. coll. p. 8, Lüders l. c. p. 78). nunc vero vix dubitari potest, quin hoc nomine deuteragonistae et tritagonistae qui vocantur significentur; κωμῳδὸς autem et τραγῳδὸς is praecipue dicitur, qui in fabulis docendis primas partes agebat et saepe ipse synagonistas mercede conducebat. inde explicatur, quod saepissime in titulis singuli nominantur tragoedi et comoedi, ubi histrionum greges intellegendos

---

[1]) Nikitsky l. c. plures etiam adtulit titulos, in quibus Politas Asandri filius commemoratur, eos dico, qui apud Wescherum et Foucartium sunt 238 (ἄρχοντος Ἀθάμβου τοῦ Ἁβρομάχου sacerdote Amynta), 424, 444, quique leguntur Rangabé Ant. hell. 911. 922. 923, Bull. de corr. hell. V. 424 n. 37. nomen Νικαρέτου τοῦ Ἀ[ντιχάρεος] v. 2 idem supplevit coll. tit. Wescher et Foucart. 32. 33, ubi isdem, Archonte et Athambo, sacerdotibus homo ille commemoratur.

esse patet[1]. ita in titulo Aegyptio saepius a me citato (Bull. de corr. hell. 1885. p. 132 sq.), quo sodales collegii cuiusdam artificum Dionysiacorum enumerantur, unus nominatur τραγῳδός, at quattuor συναγωνισταὶ τραγικοί[2]. de choreutis comicis optime exposuit Lüders l. c. p. 117 sq.; mutarum ii personarum, quas nunc 'Statisten' vocamus, loco erant, nonnumquam autem sine dubio minores partes agebant.

Haec igitur de Delphicis ludis. iam, id quod antea pollicitus sum, ad certamina musica, quae Boeotiae in urbibus agebantur, transiturus sum. cum vero de singulis singularum urbium sollemnibus iam ante dixerim, nihil restat nisi ut titulorum testimonia, quae ad tertium alterum primum a. Chr. saeculum spectant, breviter componam. etenim in Boeotia in primis ultimis liberae rei publicae Romanae temporibus multi splendidique agones celebrabantur. neque casu tantum factum esse videtur, ut hac in Graeciae regione tot tituli agonistici inventi sint. initium faciam a Thespiis, Musarum urbe, unde profectus est titulus (cf. App. IIII), in quo victores enumerantur artifices, qui Museorum ludis interfuerunt, hi: ποιητὴς προσοδίου, σαλπιστής, κῆρυξ, ἐπῶν ποιητής, ῥαψῳδός, αὐλητής, αὐλῳδός, κιθαριστής, κιθαρῳδός, σατύρων ποιητής, ὑποκριτὴς παλαιᾶς (τραγ)ῳδίας, ὑποκριτὴς παλαιᾶς κωμ(ῳδίας)[3]. quae spectacula inter amplissima referenda esse inde concludere possumus, quod ea priore alterius a. Chr. saeculi parte ab Ionico artificum Dionysiacorum collegio celebrata esse docemur titulo Teio iam saepius citato (CIG 3067, Froehner l. c. 67). iam cum in titulo illo agonistico artifices ex Asia oriundi recenseantur quinque, Athenienses tres, Boeoti tres, Thessalus unus, agonas autem, qui in titulo commemorantur, re vera ab uno collegio actos esse sacerdos artificum indici praescriptus demonstret, non habemus, cur ea quoque sollemnia, ad quae index ille victorum spectat, ab artificibus Ionicis commissa esse negemus.

---

[1]) cf. Lüders l. c. p. 121 sq. et p. 123 adn. 244.

[2]) cf. Miller l. c. p. 136. vox synagonistae nonnumquam alio quoque sensu adhiberi potuit; neque enim semper tam accurate distinguebantur κωμῳδοὶ et συναγωνισταί, sed communi comoedorum nomine significabantur.

[3]) Ad Erotidiorum agonothetas spectant tituli Keil Syll. inscr. Boeot. XVIIII (p. 85) et Bull. de corr. hell. 1884. p. 415 (III. a. Chr. saec. scriptus, cf. Foucart l. c.). ad eadem sollemnia referendus est titulus Romanae aetatis Keil Syll. p. 51 n. V (Mus. Rhen. II 93), in quo inter gymnicos et equestres victores nominatur ποιητὴς χορῶν.

praeter victores, quorum memoriam hic titulus servavit, poetam quoque quendam, qui in his ludis primum praemium reportavit, cognovimus e titulo, quem post alios Keil edidit (Zur Sylloge inscript. Boeot. Ann. phil. suppl. II 529, n. XXII): ['Αρι?]στίδης Εὐκλέους Βοιώτιος | [Μουσε]ῖα τοὺς ποιητὰς τῶν ἐπῶν νικ|ήσας Μούσαις. praeterea alterius tituli eiusdem generis fragmentum Decharme (Recueil d'inscript. inéd. de Béotie) p. 530, n. 36 edidit:

...ος νικήσας Μούσαις [1]).

In titulis Thebanis artificum Dionysiacorum saepe mentio fit: variaque in ea urbe artificum collegia versata esse comperimus. τὸ κοινὸν τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν τῶν ἐξ Ἰσθμοῦ καὶ Νεμέας συντελούντων δὲ ἐν Θήβαις commemoratur in tit. Bull. de corr. hell. IIII 335. collegium τῶν εἰς Ἰσθμὸν καὶ Πιερίαν (?) Baccho statuam quandam dedicasse comperimus ex titulo apud Keil. Syll. p. 80 (cf. Lüders l. c. p. 89 et quae antea dixi p. 78 adn. 4); collegium τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν τῶν ἐν Θήβαις posteriore aetate statuam Dioclis cuiusdam posuisse constat ex tit. CIG 1600 (Mitth. d. d. arch. Inst. III 139). denique Ionicos quoque artifices ad celebranda Heraclea Thebas proficisci solitos esse titulus Teius antea citatus docet [2]). decerni igitur nequit, cuius collegii sacerdos fuerit ille, cuius nomen victorum indici praescriptum erat in fragmento a Latichewio edito (Mitth. d. d. arch. Inst. VII 349):

Θρασέου ἄρχοντος, ἀγ[ωνοθετοῦντος
τῶν Ἀγριωνίων Νικομά[χου τοῦ δεῖνος,
ἐπὶ ἱερέως τοῦ Διονύ[σου τοῦ δεῖνος τοῦ
Ῥύνχωνος, ἀπὸ δὲ [τῶν τεχνιτῶν...
ου τοῦ Εὐάγρου Χαλ[ειέως?, τὸ δεύτε-
[ρ]ον πυρφοροῦντ[ος τοῦ δεῖνος τοῦ
Στ]ρατονίκου Θη[βαίου, οἱ νικήσαντες...

---

[1]) Thespiis vicerat Pythocles Hermionensis, cf. p. 102. ad auloedum quendam Thespiensem victorem spectat carmen lapidi insculptum, quod ediderunt J. Martha Bull. de corr. hell. III 448 n. 7 et J. Schmidt Mitth. d. d. arch. Inst. V 124 n. 13. CIA II 490 honores publici a populo Atheniensium conferuntur theoris, qui Thespias missi erant ad celebranda „Ἐρωτίδεια καὶ Ῥωμαῖα". alterum Atheniensem ἀρχεθέωρον εἰς Μουσεῖα παραγενόμενον Thespienses honoribus affecerunt tit. Ἀθηναίου VI 369 n. 3.

[2]) Ad artifices Dionysiacos Thebanos pertinent reliquiae illae tituli Thebani, quas edidit Lolling Mitth. d. d. arch. Inst. III 140 n. 2; cf. ibidem n. 1.

spectabat igitur titulus ad ludos in Agrioniorum sollemnibus editos[1]), quae in Bacchi honorem celebrata esse inde quoque colligi potest, quod in praescriptis praeter archontem, agonothetam, artificum sacerdotem etiam Bacchi sacerdos commemoratus est. in museo Thebano adservatur lapis, cui index victorum musicorum insculptus est (cf. App. XI.). qui utrum ad ludos Thebanos an ad certamina in alia Boeotiae urbe celebrata pertineat, hodie definiri nequit, cum, quo loco is inventus sit, ignoretur.

Plataeis[2]) praeter Eleutheria, quae antea commemoravi, in Iovis honorem acta alia quoque Eleutheria in honorem Bacchi musicis certaminibus celebrata esse titulus demonstrare videtur, quem edidit Keil (Archäol. Anzeig. 1859 p. 149 et Ann. phil. suppl. II 509 n. 7): ἀγαθῇ τύχῃ· | ἐπὶ ἱερέως τοῦ Διονύ|σου Ἐλευθέρου Ἀπο[λ|λωνίου τοῦ Στρατοκλέ[ους | καὶ πυρφόρου Λυσίππου [τοῦ | Ἀριστίωνος, ἀγωνο[θ|ε]τοῦντος τὸ δεύ[τερον | Ἀριστίωνος | τοῦ Στρατοκλέους | ἐνείκων· σάλπισ[τὴς | Ἀρ?]τήμων Μενίππου Ὑλα[ῖος | κῆρυξ | Φίλω?]ν [Φι]λώτου Μυ[καλήσσιος?][3]). ceterorum artificum nomina in hoc lapide evanuerunt omnia.

Acraephiae in Apollinis Ptoii honorem sollemnia pentaeterica celebrata esse e titulo comperimus, quem post alios edidit et supplevit Keil Syll. p. 132 n. 33[4]). medio saeculo primo a. Chr. in

---

[1]) cf. Hesych Ἀγριάνια... ἀγῶνες ἐν Θήβαις. his in ludis Pythoclem illum (cf. antea p. 102) vicisse veri simile est. atque Athenienses theorias Thebas misisse elucet ex titulo Ἀθηναίου VI 369 n. 3: ὁ δῆμος ὁ Θηβαίω(ν) ἀρχεθέωρον | εἰς | Ἡράκλει|α παραγε|νόμεν|ον. Thebis etiam Sulla epinicia spectaculis celebravit, cf. Plut. Sull. 19.

[2]) Lebadiae ea aetate musica quoque certamina acta esse statuendum est, si recte in Nicoclis citharoedi titulo Βασίλεια ad Basilia Lebadiae celebrata rettulerunt. titulus autem, quem ediderunt Keil Syll. p. 71 n. 7, Larfeld Syll. 70, Cauer Del.[2] 323, ad agonas gymnicos referendus est. fratres duo νικάσαντες Βασίλεια commemorantur in titulo Tanagraeo Ἀθηναίου IIII 210 n. 1. (Larfeld Syll. 496).

[3]) Keilii supplementa, quamquam ea incerta sunt, recepi.

[4]) Laudantur homines quidam, quod „ἀνατεθείκ(ασι) τῷ τε Ἀπόλλωνι τῷ Πτωΐῳ καὶ π(ᾶσι τοῖς πολεί(τ)αις εἰς καθ(ε)στίασιν εἰς τὰ Πτώϊα τὰ πεν(τ)έτειρα ἀργυρίου Ἀττικοῦ δραχμὰς δισχιλίας“ initio saeculi primi p. Chr. hunc agona per complures annos actum non esse testatur titulus CIG 1625, quem optime correxit Keil Syll. p. 137 sq.; ibi enim praeter alia Epaminondae cuiusdam beneficia haec quoque commemorantur: ἐγλελοιπότος γὰρ ἤδη τριάκοντα ἔτη τοῦ τῶν Πτωίων ἀγῶνος, κατασταθεὶς ἀγωνοθέτης προθυμότατα ἐπεδέξατο φιλοδοξήσας τὸ ἀνανεώσασθαι τὴν ἀρχαιότητα τῶν μεγάλων Πτωΐων καὶ Καισαρήων.

hac urbe Soteria quoque trieterica certaminibus musicis agebantur; cf. App. XIIII. in Sarapieis Tanagrae actis artifices musicos omnis generis de praemiis certasse tituli duo Tanagrae reperti luculenter testantur; cf. App. XII. et XIII. eadem cum magnificentia Oropi dies festos Amphiarai celebratos esse complures tituli agonistici docent, de quorum omnium aetate mox accuratius dicendum erit. praeter ceteros autem Boeotos Orchomenii certaminibus musicis studuisse videntur, cum et Bacchi et Gratiarum et Iovis Homoloii diebus festis artifices musicos ibi in publicum prodiisse tituli demonstrent. choragiae quoque institutum hic extitisse duo demonstrant tituli, quos propter dialecti rationes circa a. 175 a. Chr. confectos esse Larfeld (Syll. inscr. Boeot 25) iudicat. prior eorum extat CIG 1579, Le Bas Voy. III 617, Larfeld Syll. 24, Cauer Delect.[2] 290, Collitz Sammlung griech. Dialektinschriften I n. 477:

Μύριχος Πολυκράτιος, Ἱαρώνυμος Διογίτονος | ἄνδρεσσι χοραγείσαντες νικάσαντες Διωνύσοι | ἀνέθεικαν, Τίμωνος ἄρχοντος, αὐλίοντος Κλεινίαο, | ἀΐδοντος Ἀλκισθένιος.

alterum ediderunt Boeckh CIG 1580, Newton Inscr. of the Brit. mus. CLVIIII, Larfeld Syll. 25, Collitz l. c. 478:

Ἀλεύας Νίκωνος, Καφισόδωρος Ἀγλαοφαΐδαο | ἄνδρεσσι χοραγίοντες νικάσαντες Διωνύσοι ἀνεθέταν Ἀθ|ανίαο ἄρχοντος, αὐλίοντος Κλεινίαο, ἀΐδοντος Κρά|τωνος [1]).

eodem igitur modo, quo in titulis choragicis Atticis tibicinis nomen inde a medio saeculo quarto ante magistri nomen exaratum esse solet, in Orchomeniis quoque titulis prior scribitur ille, qui tibiis cantaverat, posterior, qui cecinerat. Alcisthenes autem Cratoque et praecentores chori, qui dicuntur (κορυφαῖοι, ἡγεμόνες), et magistri fuerunt. ceterum cum Baccho anathemata dedicata dicantur, chororum illa certamina in Agrioniis habita esse veri simile est [2]). praeterea extant tituli (App. I.—III.), quibus enumerantur artifices,

---

[1]) Chaeroneae quoque prope theatrum titulus repertus est, qui eiusdem generis fuisse videtur, nunc autem ita mutilatus est, ut certa supplementa proponi nequeant (CIG 1581, Larfeld Syll. 55, Collitz l. c. 375): ἄνδρεσσι Χαρ(ώ)νδα|ς.... |(Ν)ι(κ)άν(ω)ρ Καφισοδ(ώ)ρω Ἱπ... | Ἁρμόδιος Πολέμω(νος...) in versu primo χοραγείσαντες vel χοραγίοντες scribendum esse suspicati sunt homines docti.

[2]) cf. Preuss Quaestiones Boeoticae p. 33. Agrionia Orchomenia cognovimus e Plutarchi Quaest. Gr. c. 38. Agrionia, quibus theorum Atheniensem interfuisse titulo Ἀθηναίου VI 369 n. 3 edocemur, ad Orchomeni sollemnia Kumanudis probabiliter rettulit.

qui in Charitesiorum certaminibus victores fuerunt. quibus indicibus duobus in lapidibus alii, quibus recensentur victores in Homoloiis, indices subiecti sunt ita, ut artissime haec duo sollemnia inter se coniuncta fuisse pateat. quid vero significent verba illa νεμητὸς ἀγών, neque homines docti adhuc perspexerunt neque ipse de ea re coniecturam proponere audeo. alia quoque in Homoloiorum certaminibus incerta dubiaque videntur, veluti id quod legimus οἶδε ἐνίκων..... παῖδας αὐλητάς .., παῖδας ἡγεμόνας,.. ἄνδρας αὐλητάς .., ἄνδρας ἡγεμόνας (in tit. III., alio ordine in tit. II.). neque enim de praemiis pueris virisque separatis propositis cogitari licere inde patet, quod in utroque titulo (II. et III.) idem et ἄνδρας αὐλητὰς et παῖδας αὐλητάς, in titulo II. idem et παῖδας ἡγεμόνας et ἄνδρας ἡγεμόνας vicit. alius igitur circumspiciendus est explicandi modus. iam si meminerimus in titulo Delphico antea adlato praeter choreutas enumerari παῖδα ἡγεμόνα et ἀνδρῶν ἡγεμόνα, intellegemus παῖδα ἡγεμόνα idem significare ac παίδων ἡγεμόνα. neque causam habemus, cur antiquiore aetate illum παῖδα ἡγεμόνα re vera puerum fuisse negemus. si autem is mos erat, ut puerorum praecentor παῖς ἡγεμὼν nominaretur, intellegi potest designationem illam etiam tum adhibitam esse, ubi ἡγεμὼν παίδων non ipse puer, sed praecentor quidam et magister maior natu fuit. re vera autem ἡγεμόνας illos cantores fuisse inde patet, quod Callo, qui in titulo II. vv. 29 sq. παῖδας ἡγεμόνας et ἄνδρας ἡγ. vicisse dicitur, v. 16 citharoedus dicitur, Rhodippus autem, qui in tit. III. v. 45 ἄνδρας ἡγεμόνας vicit, v. 13 auloedus dictus est, prorsus eodem modo, quo antea Pythoclem Hermionensem, qui in Soteriorum catalogo II. v. 29 virorum praecentor fuit — primus enim inter viros choreutas enumeratus est —, coll. CIG 1212 auloedum et Tyranniam Thebanum et ἀνδρῶν ἡγεμόνα et citharoedum fuisse vidimus. eundem autem virum choros puerorum et virorum docere potuisse non est cur negemus. iam si concedimus παῖδας (et ἄνδρας) ἡγεμόνας eos vicisse dictos esse, qui omnium optime puerorum (et virorum) choros docuissent vel praecinuissent, victorias quoque hominum illorum, qui ἄνδρας et παῖδας αὐλητὰς vicisse dicuntur, ad choros lyricos referendas esse veri simile videtur. atque etsi e rationibus grammaticis dicendique usu hanc coniecturam firmare non possum, tamen ea res ita tantum explicari posse videtur, ut sumamus ἄνδρας αὐλητὰς liberiore modo eos vicisse dictos esse, qui inter ἀνδρῶν αὐλητὰς i. e. inter tibicines choris virorum accinentes primum praemium reportaverant, eodemque modo παῖδας αὐλητὰς

vicisse eos, qui ceteris tibicinibus, puerorum choris succinentibus, praestiterant. et Ergeam, qui in tit. II. et ἄνδρας αὐλητὰς et παῖδας vicisse narratur, tibicinem fuisse docemur eiusdem tituli v. 10. ceterum iam antea monuimus haud raro eosdem tibicines isdemque in sollemnibus et assis tibiis cantasse et choro cuidam succinuisse; cf. etiam adn. ad titt. App. II. et III.

Restat ut de aetate titulorum agonisticorum Boeotorum, quos in appendice congessi, pauca exponam. qua in re proficiscendum esse videtur a titulo Orchomenio I., quem Boeckhium secuti pro antiquissimo omnium omnes habuerunt homines docti. Boeckh enim, cum titulus dialecto Boeotica scriptus esset, eum ol. 145 (200 a. Chr.) adsignandum esse putabat. quae sententia cum minime mihi probetur, primum de tituli sermone pauca dicenda esse videntur. atque Beermann (De dial. Boeot. p. 55[1]) sermonem huius tituli propter miras illas formas ῥαψαϝυδός, αὐλαϝυδός, κιθαραϝυδός, τραγαϝυδός, κωμαϝυδὸς artificiosa antiquitatis imitatione effectum esse adfirmavit. cui adsensi sunt et G. Meyer (Gramm. Gr. §. 235 p. 206) et P. Cauer (Delect.² 301), oblocutus R. Meister[2]; neque meum esse puto hoc loco hanc quaestionem diiudicare. recte autem sine dubio Beermann monuit p. 12 etiam Romana aetate, cum iam Attica dialectus trita et pervolgata esset, in primis in donariis et titulis dedicatoriis, quo maior efficeretur gravitas et sollemnitas, veterem dialectum Boeotos haud raro revocavisse, ita ut litterarum formis non respectis ex sola dialecto de aetate titulorum iudicium proferre minime liceat. quae cum ita sint titulique illius accurata desint apographa, alia quaerenda sunt aetatis indicia. quae ceteris eiusdem generis titulis collatis non prorsus deesse puto; omnes enim illos titulos Boeotos, quibus addendus est Euboeicus quoque titulus persimilis (App. X.), paucorum annorum spatio scriptos esse artificum nomina demonstrant, quae in compluribus saepe titulis redeunt. ita quinque nomina, quae in titulo Orchomenio I. invenimus, recurrunt in titulo IIII. Thespiensi, tria, quae in eodem titulo Orchomenio legimus, iterum reperiuntur in titulo V. Oropio. atque eodem modo singulis titulis Oropiis et Orchomeniis, titulis VIIII. et XIII., V. et X., multa communia sunt nomina, quibus cum semper et artis et patris et patriae nota addita sit, quin ea ad eosdem homines referenda sint, dubitari nequit. si igitur de unius

---

[1]) G. Curtius Studien zur griech. u. latein. Grammatik VIIII (1876).

[2]) A. Bezzenberger Beiträge z. Kunde der indogerman. Sprachen V 206.

alteriusve tituli aetate certum iudicium potest proferri, de ceterorum quoque titulorum aetate coniecturam proponere licet. talis autem accuratior temporum definitio ex titulis Oropiis elici posse videtur. etenim Kumanudis ante paucos menses (in Eph. arch. ser. III. 1884. p. 121 sq.) quattuor titulos Oropios (V.—VIII.) edidit, quos omnes intra paucorum annorum spatia scriptos esse recte ille statuit medioque saeculo alteri adsignavit permotus, ut videtur, litterarum formis. at quamvis non ignorem ea, quae sagacissime de harum quaestionum difficultate Koehler in praefatione Corp. inscr. Att. vol. II. monuit, fieri tamen nequit, ut nihil de horum titulorum scriptura dicam. neque enim video, quid his formis insit, quod eas saeculo altero exaratas esse demonstret, nisi quod Π forma antiquiorem figuram servasse videtur. sed haec quoque forma apicibus deformata est ita, ut artificiosior quam vetustior videatur ea littera. et si ceterarum litterarum formas perpendimus, si lineolas illas minutas, quibus partes litterarum extremae instructae sunt, respicimus, si iota adscriptum nonnumquam additum, saepius omissum esse reputamus, iure titulos primo a. Chr. saeculo exaratos esse suspicari possumus, si aliis etiam rebus haec sententia commendari videtur. atque in titulis VII. et VIII. ludi in Amphiarai honorem instituti Ἀμφιάραα καὶ Ῥωμαῖα nominantur. qua in designatione accuratius aetatis indicium inesse facile quis negaverit, qui iam initio saeculi alterius in Asia in Romae honorem sollemnia instituta [1]) et Athenis iam parte saeculi alterius priore sacrificium, cui nomen erat Ῥωμαῖα, factum [2]) esse respexerit. attamen haud paucorum annorum spatium intercessisse inter eam aetatem, qua prima sacrificia Romanorum salutis causa instituta sunt, eamque, qua Graeculi sacros suos vetustosque agonas in Romae utpote novae deae honorem celebrabant, satis veri simile est. et in ipsa urbe Oropo in Romae Romanorumque honorem et adulationem ante Sullae aetatem ludos celebratos non esse mihi luculenter probare videntur ea, quae in epistula consulum anno 73 ad Oropios missa, quae lapidi Oropio insculpta nuper demum edita [3]) est, leguntur v. 42 sq.: Λεύκιος Κορνήλιος Σύλλας ἀπὸ συνβουλίου γνώμης γνώμην εἰρηκέναι δοκεῖ· . . . . . .ὡσαύτως τῷ θεῷ Ἀμφιαράῳ καθιερωκέναι τῆς πόλεως

[1]) cf. Preller Röm. Mythol.³ II 354.

[2]) cf. CIA II 953 cum adnotatione Koehleri.

[3]) Eph. arch. ser. III. 1884. p. 100 sq., cf. Th. Mommsen Herm. XX 269 sq.

καὶ τῆς χώρας λιμένων τε τῶν Ὠρωπίων τὰς προσόδους ἁπάσας εἰς τοὺς ἀγῶνας καὶ τὰς θυσίας, ἃς Ὠρώπιοι συντελοῦσιν θεῷ Ἀμφιαράῳ, ὁμοίως δὲ καὶ ἃς ἂν μετὰ ταῦτα ὑπὲρ τῆς νίκης καὶ τῆς ἡγεμονίας τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων συντελέσουσιν. rectissime igitur Th. Mommsen l. c. (Herm. XX 274 adn. 2) ludos illos, ad quos tituli agonistici spectant, in victoriae Sullanae memoriam institutos et εὐαγγέλια τῆς Ῥω(μαίων νίκης), quae post gymnica certamina in fine tituli Ephem. arch. 1884. p. 121 sq. editi (cf. App. VI) commemorantur, ad ipsam Sullae victoriam referenda esse suspicatus est[1]). iam cum titulos VII. et VIII. non multo recentiores esse quam titulos V. et VI. nonnulla, quae in singulis titulis scripta sunt, nomina communia demonstrent, in titulis autem V. et VI. complures nominentur artifices, qui in tit. Orchomenio I. et Thespiensi IIII. victores dicuntur, Orchomenium quoque tit. I. non multis annis ante 86 a. Chr. scriptum esse statuamus necesse est. neque vero hoc solum est argumentum, quo sententia antea de titulo Orchomenio prolata commendatur. etenim titulum Oropium VIIII., cum eum saeculo alteri a. Chr. Rangabé aliique adscripsissent, Latichew (Bull. de corr. hell. V 250 sq., 260) titulis Atticis collatis parte saeculi primi a. Chr. priore exaratum esse acute demonstravit. in prytanum enim Atheniensium indice quodam, qui medio saeculo primo a. Chr. scriptus est (legitur nunc CIA II 874), inter Phalereos nominatur Ἀρίστων Ποσέους. quem non diversum esse ab Aristone Posis filio Atheniensi, qui comoediae poeta dicitur in titulo VIIII., Latichew coniecit suamque coniecturam quam maxime probabilem esse eo demonstravit, quod in eodem titulo Oropio VIIII. commemorantur Heraclides quidam Heraclidis filius Atheniensis (ποιητὴς σατύρων) et Charias Chariae filius Atheniensis (ὑποκριτής), qui idem esse videntur atque Heraclides Heraclidis filius ἐκ Κηδῶν ephebus CIA II 467 (archonte Echecrate 101 a. Chr.) et Charias Chariae filius Μελιτεὺς ephebus CIA II 469 (archonte Hipparcho, qui paulo ante 101 a. Chr. magistratum gessisse videtur). quae si recte disputata sunt, in titulo Oropio duo ludis interfuisse homines dicuntur, qui circa a. 100 a. Chr. viginti fere annos nati erant, unus, qui circa a. 50 a. Chr. prytanis fuit, ita ut Amphiaraa illa, quibus coniuncti interfuerunt,

---

[1]) Non nullius momenti esse videtur, quod in epistula consulum iota fere semper adscriptum, in titulis agonisticis saepissime omissum est. accedit, quod et hi tituli et epistula illa uno eodemque loco inventa esse videntur.

intra annos 90 et 60 a. Chr. cecidisse necesse sit. qua cum coniectura optime concinunt ea, quae antea de titulorum VI. et Oropiorum aetate probare studui. in tit. enim VIIII. ἄνδρας παγκράτιον vicisse narratur Εὐφάνης Ζωΐλου 'Ωρώπιος; idem autem homo sine dubio intellegendus est in titulo Oropio, qui editus est Ephem. arch. ser. III. 1884. p. 121 n. 1, l. 66 sq., ubi Euphanes Zoili filius Oropius τὴν ἀπόβασιν et εὐαγγέλια τῆς 'Ρω(μαίων νίκης) vicisse dicitur; eodem autem in titulo inter victores musicos (App. VI) cum Euarchus Herodoti filius Coronensis histrio comicus nominetur, qui idem est atque κωμαϝυδὸς Εὔαρχος Εἱροδότου Κορωνεὺς in tit. I., et praeterea eodem in titulo Philocrates Theophanti filius Thebanus commemoretur, qui non diversus est a Philocrate Theophanti filio histrione tragico in tit. IIII., hos quoque titulos I. et IIII., quos eiusdem aetatis esse extra dubitationem positum est, annis 90—60 a. Chr. non multo antiquiores esse patet[1]. diversis igitur ratiocinandi viis rationibusque ad eundem finem pervenimus. iam si tituli Oropii V.—VIII. et tituli I. et IIII. parte priore saeculi primi a. Chr. scripti sunt, idem propter communia, quae in eis leguntur, artificum nomina etiam de titt. II. III. X. statuere licet; artissime enim hi octo omnes inter se cohaerent. cum his deinde titulo VIIII. quasi vinculo coniuncta est altera series titt. VIIII. XI. XIII., in quibus commemorantur Δημοκλῆς 'Αμινίου Θηβαῖος (VIIII 2; XI 8) et 'Ασκληπιάδης Θεοφράστου Αἰγινήτης (XI 2), qui certe aut patres aut filii sunt eorum hominum, quorum in priore titulorum serie mentio fit, dico Aminiam Democlis Thebanum (III 10; VIII 14) et Theophrastum Asclepiadis Aeginetam, (II 2; VIII 8). his denique accedunt tit. XII., (qui vetustior est ceteris alterius seriei), et titt. XIIII. XV. qui recentiores titulis prioris seriei esse videntur, (cf. quae ad singulos titulos adnotavi). accuratius autem ordinem, quo singuli tituli, in primis Orchomenii et Oropii, sese exceperint, constituere difficillimum est. certum quoddam aetatis indicium in titulis Oropiis in eo inesse, quod in tit. VIIII. multi nominentur Athenienses, in titt. V.—VIII. ne unus quidem inveniatur, Kumanudis l. c. p. 124 monuit. tituli

[1]) Adde quod iam Eustratiades 'a. 1869, cum in Eph. arch. ser. II (1869) p. 347 sq. titulum agonisticum Tamynis repertum edidit (App. X.), in quo κιθαριστὰς vicisse dicitur 'Ηγέλοχος 'Ασκληπιογένους Αἰολεὺς ἀπὸ Μυρίνης, monuit titulum Orchomenium, in cuius v. 18 κιθαριστὰς 'Αγέλοχος 'Ασκλαπιογένους Αἰολεὺς ἀπὸ Μουρίνας nominatur, propter recentem tituli Euboeici scripturam ad tempora multo recentiora quam Boeckh putabat referendum esse.

igitur V.—VIII. ei aetati adsignandi videntur, qua inter Athenienses et Oropios inimicitiae intercesserunt. iam cum annis 86—71 a. Chr. Oropios non in Atheniensium dicione fuisse senatus consultum Romanorum, quod antea commemoravi, demonstret et Athenienses bello Sullano Boeotiae urbem illam amisisse, sed paulo post recuperasse probabiliter coniecerit Th. Mommsen l. c. p. 276, titt. V.—VIII. intra annos 86 et 71 scriptos esse suspicari licet. tit. autem VIIII. utrum ante an post id tempus scriptus sit, pro certo definiri nequit, cum quae ratio inter Athenas et Oropum temporibus illis intercesserit, nondum satis edocti simus [1]). inde vero, quod Euphanes Zoili filius in tit. VIIII. ἄνδρας παγκράτιον vicit, in tit. VII. autem agonotheta dicitur, vix quicquam effici potest. nonnulla de titulorum singulorum aetate in adnotationibus, quas infra singulis artificum indicibus subiciam, explicabo; hic unum addam, titt. I. et IIII. eorum, qui extant, antiquissimos esse, si quidem litterarum formis, quas Decharme in tit. Thespiaci apographo praebet, fidem habere licet [2]).

Haec igitur sunt, quae de musicis Graecorum certaminibus mihi nunc disputanda esse videbantur; alio tempore fortasse licebit has quaestiunculas in ampliorem extendere dissertationem.

---

[1]) Omnia, quae de Oropo oppido cognovimus, composuit Preller (Ber. d. k. sächs. Gesellsch. d. Wissensch. IIII 180 sq.). Koehler (Mitth. d. d. arch. Instit. IIII 259 sq.) initio saeculi primi a. Chr. Oropum nondum in Atheniensium potestate et a M. Antonio demum Atheniensibus traditum esse putat, cf. eiusdem adnotationem CIA II p. 277.

[2]) Si audaciores hariolationes proferre licet, iam proponam, quem ordinem mihi ipse animo finxerim. si, ut antea dixi, vetustissimos putamus titulos I. et IIII., eos intra annos 100—86 ponere licet, eiusdemque aetatis erit tit. XII. anno 86 scripti videntur V. et VI. (cf. App. VI. adn.), quibus addendus est X. (cf. adn.). proximis annis titulos VII. et VIII. adsignaverim, quorum aequales titt. Orchomenii II. et III. esse videntur. paulo recentiorem deinde puto titulum VIIII. fortasse anno 70 scriptum, eidemque aetati adtribuendi sunt XI. et XIII., quibus denique accedunt titt. XIIII. et XV., qui medio saeculo primo exarati esse videntur.

Appendix.

Tituli Orchomenii.

I. ed. Boeckh CIG 1583, Le Bas Voy. arch. II 621, Larfeld Syll. 32, Cauer Delect.² 301, Collitz - Meister Sammlung griech. Dialektinschr. I 503.

Μνασίνω ἄρχοντος, ἀγωνο-
θετίοντος τῶν Χαριτεισίων
Εὐάριος τῶ Πάντωνος [1]), τύδε
ἐνίκωσαν τὰ Χαριτείσια·
σαλπιγκτὰς
Φιλῖνος Φιλίνω Ἀθανεῖος·
κάρουξ
Εἰρώδας Σωκράτιος Θειβεῖος [2])·
ποειτὰς
Μήστωρ Μήστορος Φωκαιεύς [3])·
ῥαψαϝυδὸς
Κράτων Κλίωνος Θειβεῖος [4])·
αὐλειτὰς
Περιγένεις Ἡρακλίδαο Κουζικηνός [5])·
αὐλαϝυδὸς
Δαμήνετος Γλαύκω Ἀργῖος·
κιθαριστὰς
Ἀγέλοχος Ἀσκλαπιογένιος Αἰολεὺς ἀπὸ Μουρίνας [6])·
κιθαραϝυδὸς

I. [1]) Εὐαρί⟨ο⟩στω Πάντωνος scribendum esse coniecit Larfeld. [2]) Εἰρω[ί]δας corrigendum esse dixerunt Keil Syll. l. c. et Larfeld l. c., cf. l. 26; idem nominatur Ἡρωίδης Σωκράτους Θηβαῖος in tit. IIII v. 14. [3]) cf. IIII 16, V 6, 10. [4]) cf. V 8. [5]) cf. IIII 20. [6]) cf. V 14, X 10, 11.

Δαμάτριος Ἀμαλωΐω Αἰολεὺς ἀπὸ Μουρίνας[7]·
τραγαϝυδὸς
Ἀσκλαπιόδωρος Πουθέαο Ταραντῖνος[8]·
κωμαϝυδὸς
Νικόστρατος Φιλοστράτω Θειβεῖος[9]·
τὰ ἐπινίκια[10]) κωμαϝυδὸς
Εὔαρχος Εἰροδότω[11]) Κορωνεύς[12]).

II. ed. Ussing Inscr. Gr. ined. (Havniae 1847) n. 53, Le Bas Voy. arch. II 623 (Lüders Dionys. Künstler p. 186 n. 109), plenius Schliemann Orchomenos p. 57.

Νενικηκότες ἐν τοῖς Χαριτησίοις·
σαλπιστής
(Θε)όφραστος Ἀσκληπιάδου[1]) Αἰγινήτης[2])·
κῆρυξ
Νικοτέλης[3]) ΚΑΓΩΝΟΣ[4]) Θεσπιεύς·
ῥαψωδὸς
Μέντωρ Ἀπολλοδώρου Ἡρακλεώτης·
ποητής
Διογένης Λεωνίδου Ἀντιοχεὺς ἀπὸ Δάφνης·
αὐλητής
Ἐργέας Ἐργέου Ἀντιοχεὺς ἀπὸ Δά[φνης]·
αὐλωδὸς
Ἀρίστων Ἀρίστωνος Θηβαῖος·
κιθαριστής

---

[7]) cf. IIII 26. [8]) Fratrem huius Asclapiodori homines docti (Lüders l. c. p. 128, adn. 250) significatum esse putabant in lampade Corcyraea (cf. Wachsmuth Mus. Rhen. XVIII 549), cui inscripta sunt litteris antiquis haec: Δάματρος Πουθέαο τραγαϝυδῶ. at Kirchhoff Stud. z. griech. Alphab.[3] p. 131 adn. titulum illum a falsario quodam confectum esse demonstravit. [9]) cf. II 22, 36. [10]) cf. G. Hermann Opusc. VII 239. [11]) ΕΥΡΟΔΟΤΩ correxit Boeckh. [12]) cf. IIII 32, VI 5.

II. [1]) ΑΣΚΛΗΓΙΑΔΟΣ Schliemann. [2]) cf. VIII 8, adde XI 2. [3]) Νικοτέλης scripsi e Schliemanni apographo, quod ceteris quoque in rebus secutus sum; Ἡροτέλης exhibuit Ussing (Le Bas). ne quis autem eundem hominem et praeconem et tragoedum (l. 20) vicisse miretur, ad titulum VIII. relego, ubi v. 10 Γλαυκίας Σωσάνδρου Θηβαῖος praeconum et v. 30 idem tragicorum histrionum victor dicitur. [4]) Sic et hic et in v. 20 nomen exhibetur apud Schliemannum. ΚΑΤΩΝΟΣ v. 5 et ΚΑΤΩΝΟΣ v. 20 Le Bas; Κ(ρ)άτωνος scripsit Ussing. quod si id nomen corruptum est, de forma Καπίωνος cogitari potest.

Φανίας Ἀπολλοδώρου τοῦ Φανία Αἰο-
λεὺς ἀπὸ Κύμης[5]·
κιθαρωδὸς
Κάλλων Πύθωνος Ὀπούντιος·
τραγωιδὸς
Νικοτέλης ΚΑΓΓΩΝΟΣ Θεσπιεύς·
κωμωιδὸς
Νικόστρατος Φιλοστράτου Θηβαῖος[6]·
Οἵδε ἐνίκων τὸν νεμητὸν ἀγῶνα [τῶν
Ὁμολωΐων·
ἄνδρας αὐλητὰς
Ἐργέας Ἐργέου Ἀντιοχεὺς ἀπὸ Δάφνης·
παῖδας [αὐλητὰς]
Ἐργέας Ἐργέου Ἀντιοχεὺς ἀπὸ Δάφνης·
παῖδας ἡγεμόνας
Κάλλων Πύθων[ος Ὀπούντιος][7]·
ἄνδρας [ἡγεμόνας]
Κάλλων Πύθωνος Ὀπούντιος·
τραγωιδὸς
Ἡρόδοτος Μενάνδρου Βοιώτης·
κωμωιδὸς
Νικόστρατος Φιλοστράτου Θηβαῖος·
τὰ ἐπινίκια
Ἐργέας Ἐργέου Ἀντιοχεὺς ἀπὸ Δάφνης[8].

III. ed. Boeckh. CIG 1584, Le Bas Voy. arch. II 622:

Οἵδε ἐνίκων τὸν ἀγῶνα τῶν Χαρι-
τησίων· σαλπιστὴς
Μῆνις Ἀπολλωνίου Ἀντιοχεὺς
ἀπὸ Μαιάνδρου·
κῆρυξ
Ζώϊλος Ζωΐλου Πάφιος·
ῥαψωιδὸς
Νουμήνιος Νουμηνίου Ἀθηναῖος·

---

[5]) cf. III 16. [6]) cf. v. 36, I 24. [7]) Callo citharoedus fuit, cf. vv. 16, 17. ita Tyrannias Thebanus citharoedus idemque ἡγεμὼν ἀνδρῶν nominatur in titulo Delphico p. 104. [8]) Quattuor igitur praemia reportavit Ergeas tibicen, quod magis parvo aemulorum numero, quam praeclara eius arte explicandum erit. fortasse adeo solus tibicen ludis interfuit.

ποητὴc ἐπῶν
Ἀμινίαc Δημοκλέουc Θηβαῖοc[1]·
αὐλητὴc
Ἀπολλόδοτοc Ἀπολλοδότου Κρησαῖοc·
αὐλωιδὸc
Ῥόδιπποc Ῥοδίππου Ἀργεῖοc·
κιθαριστὴc
Φανίαc Ἀπολλοδώρου τοῦ Φανίου
Αἰολεὺc ἀπὸ Κύμηc[2])·
κιθαρωιδὸc
Δημήτριοc Παρμενίσκου Καλχηδόνιοc·
τραγωδὸc
Ἱπποκράτηc Ἀριστομένουc Ῥόδιοc·
κωμωδὸc
Καλλίστρατοc Ἐξακέστου Θηβαῖοc[3])·
ποητὴc σατύρων
Ἀμινίαc Δημοκλέουc Θηβαῖοc[4])·
ὑποκριτὴc
Δωρόθεοc Δωροθέου Ταραντῖνοc·
ποιητὴc τραγωδιῶν
Σοφοκλῆc Σοφοκλέουc Ἀθηναῖοc[5])·
ὑποκριτὴc
Καβίριχοc[6]) Θεοδώρου Θηβαῖοc·
ποιητὴc κωμωδιῶν
Ἀλέξανδροc Ἀριστίωνοc Ἀθηναῖοc·
ὑποκριτὴc

III. Hunc titulum Boeckh CIG I p. 765 B fere ol. 145 scriptum esse putavit, argumentis nisus non satis gravibus. eiusdem aetatis esse videtur ac tituli II. et VIII., cf. adn. 1—3. [1]) cf. v. 25, VIII 14, 16 (cf. VIIII 2: Δημοκλῆς Ἀμινίου Θηβαῖος, XI 8). [2]) cf. II 15. [3]) cf. v. 49, VIII 34. [4]) cf. ποιητὴς ἐπῶν v. 10. [5]) Boeckh l. c. et Welcker Griech. Tragödien 1275. 1282, qui hunc titulum ol. 145 adsignaverunt, ad hunc Sophoclem Suidae verba rettulerunt: Σοφοκλῆς Ἀθηναῖος, τραγικός.... γέγονε δὲ μετὰ τὴν πλειάδα ἤτοι μετὰ τοὺς ζ' τραγικούς, οἵτινες ὠνομάσθησαν πλειάς... quam coniecturam omni fundamento carere patet. [6]) Καβίριχος quidam histrio **comicus** intra annos 165 et 157 Athenis versatus est, cf. CIA II 2, 975 col. 4, 5. quem hominem Koehler Mitth. d. d. arch. Inst. III 122 haud recte non diversum putabat a Cabiricho Thebano histrione tragico, qui hic commemoratur. neque Callistratum v. 49 componere licet cum Callistrato comoedo CIA II 975 col. 3, cum in titulo Attico patris patriaeque notae desint nec tempora convenire videantur.

Ἄτταλος Ἀττάλου Ἀθηναῖος
Οἵδε ἐνίκων
τὸν νεμητὸν ἀγῶνα τῶν Ὁμολωΐων·
παῖδας αὐλητὰς
Διοκλῆς Καλλιμήλου Θηβαῖος·
παῖδας ἡγεμόνας
Στρατῖνος Εὐνίκου Θηβαῖος·
ἄνδρας αὐλητὰς
Διοκλῆς Καλλιμήλου Θηβαῖος·
ἄνδρας ἡγεμόνας
Ῥόδιππος Ῥοδίππου Ἀργεῖος[7])·
τραγωδὸς
Ἱπποκράτης Ἀριστομένους Ῥόδιος·
κωμωδὸς
Καλλίστρατος Ἐξακέστου Θηβαῖος·
τὰ ἐπινίκια
κωμωδιῶν ποιητὴς
Ἀλέξανδρος Ἀριστίωνος Ἀθηναῖος.

IIII. Titulus Thespiensis, ed. Decharme Recueil d'inscriptions inédites de Béotie (archives des missions scientif. II. série IV 1867) p. 522 n. 26. (Lüders l. c. p. 186 n. 110).

Ζένωνος[1]) ἄρχοντος, ἀγωνοθετοῦντος τὸ
δεύτερον Κλεαινέτου τοῦ Δασίου, ἐπὶ ἱερέ-
ως τῶν Μουσῶν Πολυκρατίδους [το]ῦ Φαείνου[2]), ἀ-
πὸ δὲ τῶν τεχνιτῶν [τοῦ δεῖνος......[3])
Ἀργείου, γραμματεύοντος Ἀμφικλεί[δους
τ]οῦ Κλεαινέτου, πυρφοροῦντος Κλ[εαινέ-
του τοῦ Δασίου, οἱ νικήσαντες τὰ Μ[ουσεῖα
οἵδε·

---

[7]) Rhodippus auloedus fuit, cf. vv. 13 et 14. vicit igitur „αὐλωδός τε καὶ ἐγκυκλίοισι χοροῖσιν", ut Pythocles ille CIG 1212 (cf. p. 102).

IIII. Titulus eiusdem est aetatis atque I., cf. adn. 4 sq. [1]) Cum nusquam Ζένων pro Ζήνων compareat, recte Preuss Quaest. Boeot. p. 13 adn. 1 Ξένωνος pro Ζένωνος scribendum esse coniecit. [2]) [το]ῦ Φαείνου optime scripsit Ad. Trendelenburg apud Lüdersium p. 187 adn., cum Decharme [Ε]ὐφαείνου nomen sibi mente finxisset. [3]) Inepte Decharme post vocem τεχνιτῶν interpunxit. post Musarum sacerdotem artificum Dionysiacorum collegii sacerdotem nominatum fuisse viderunt Foucart De scaen. coll. p. 49, Lüders l. c. p. 143 adn. 247, Preuss l. c. p. 36.

ποιητὴϲ προϲοδίου
Βάκχιοϲ Βακχίου Ἀθηναῖοϲ·
ϲαλπιϲ[τὴϲ
ΙΑΘΑΡΝΟΣ Μελανθίου Θετταλὸϲ ἀπὸ Κι[ε]ρίου·
κῆρυξ
Ἡρωίδηϲ Σωκράτ[ουϲ] Θηβαῖοϲ[4])·
ἐπῶν ποιητὴϲ
Μήϲτωρ Μήϲτοροϲ Φωκαιεύϲ[5])·
ῥαψωιδὸϲ
Θ]εόδωροϲ Πυθίωνοϲ Ἀθηναῖοϲ·
αὐλητὴϲ
Περιγένηϲ [Ἡρα]κλείδου Κυζικηνόϲ[6])·
αὐλωιδὸϲ
Στράτων Στράτωνοϲ Σιδώνιοϲ·
κιθαριϲτὴϲ
Ἀπολλόδοτοϲ Δημέου Λύκιοϲ ἀπὸ Ξανθο[ῦ·
κιθαρωιδὸϲ
Δημήτριοϲ Ἁμαλωΐου Αἰολεὺϲ ἀπὸ Μυρίνηϲ[7])·
ϲατύρων ποιητὴϲ
Ἀράδαϲ Τίμωνοϲ Ἀθηναῖοϲ·
ὑποκριτὴϲ παλαιᾶϲ [τρα]γωιδίαϲ
Φιλοκράτηϲ Θεοφάντου[8]) Θηβαῖοϲ·
ὑ]ποκριτὴϲ παλαιᾶϲ κωμ[ωιδίαϲ
Εὔ]αρχοϲ Ἡροδότου Κορω[νεύϲ[9]).

Tituli Oropii.

V. ed. St. Kumanudis Eph. arch. ser. III. 1884. p. 127 n. 4.

. . . .

[κῆρυξ]

---

[4]) cf. I 8: Εἰρώδας Σωκράτιος Θειβεῖος. [5]) cf. I 10, V 6, 10. [6]) cf. I 14 (Περιγένεις Ἡρακλίδαο Κουζικηνός) [7]) cf. I 20 (Δαμάτριος Ἀμαλωΐω Αἰολεὺς ἀπὸ Μουρίνας). [8]) Θεοφάντου scripsi contra Decharmium, qui exhibuit ΘΕΟΦΑΝΙΟΥ, coll. VI 1, VII 25 sq.: τραγῳδίας παλαιᾶς ὑποκριτὴς Φιλοκράτης Θεοφάντου Θηβαῖος, 31 sq.: ὑποκριτὴς (τραγῳδίας καινῆς) Φιλοκράτης Θεοφάντου Θηβαῖος. [9]) cf. I 26 (κωμαϝυδὸς Εὔαρχος Εἰροδότω Κορωνεύς), VI 5.

V. Titulum inter Oropios primo loco posui, cum fere eiusdem aetatis sit ac tit. I.; sex enim artificum, qui hic nominantur, tres etiam in tit. I. commemorantur. titulos V. et VI. eiusdem indicis partes esse veri simile mihi videtur, cum in tit. VI. inter tres, qui recensentur, artifices scaenicos duo in

Γλαυκί]ας [1]) Σωσάνδρου Θη[βαῖος·
ἐγκώμιον καταλογάδη[ν
Ἀρισ]τόνικος Μενάνδρου Ὠρώπιος·
ἐ]πικὸν [2])
Μή]στωρ Μήστορος Φωκαιεύς [3])·
ῥαψωιδὸς
Κράτων Κλέωνος Θηβαῖος [4])·
ἐπῶν ποιητὴς
Μήστωρ Μήστορος Φωκαιεύς·
α]ὐλητὴς
Διονύσιχος [Ἐπικ]λέους Θηβαῖος [5])·
[κιθαριστὴς] [6])
Ἁγέλοχος [Ἀσκληπιογένου Αἰολεὺς ἀπὸ Μυρίνης] [7])
[κιθαρωιδὸς]
. . . .

VI. ed. St. Kumanudis Eph. arch. ser. III. 1884. p. 121 n. 1:

. . . .
Φι]λοκράτ[ης Θεοφάντου Θηβαῖος?] [1])
κωμωδ[ίας καινῆς ποιητής?]
Διεύχης Μνασιτέλο[υ . . . .

---

tit. IIII. quoque reperiantur, quem titulum eadem aetate ac tit. I. scriptum esse patet. 1) Supplevit Kumanudis coll. VIII 9, 10: κῆρυξ Γλαυκίας Σωσάνδρου Θηβαῖος. 2) ἐπικὸν sc. ἐγκώμιον, cf. VIIII 11 ἐνκωμίω λογικῶ, 13 ἐνκωμίω ἐπικῶ. in Romanorum imperatorisque victoris honorem haec encomia composita fuisse veri simile est, cf. CIG 1585 v. 10: ἐγκωμιογράφος εἰς τὸν αὐτοκράτορα (qui tit. Thespiis scriptus est imperatorum aetate); cf. etiam Bergk Ann. phil. CXVII 184 sq. 3) cf. I 10, IV 16. 4) cf. I 12. 5) Supplevit Kumanudis coll. VII 18; cf. X 9. 6) Supplevi coll. VII 29, VIII 21. 7) Supplevi coll. I 17, 18 (κιθαριστὰς Ἁγέλοχος Ἀσκλαπιογένιος Αἰολεὺς ἀπὸ Μουρίνας), X 10.

VI. Hic titulus, qui tit. V. altera pars esse videtur, antiquior est tit. VII. et VIII.; litterarum enim formas paulo antiquiores videri eis, quae in tit. VII. inveniuntur, Kumanudis l. c. p. 123 monuit. et si recte ad victoriam Sullanam ludorum Romanorum institutionem rettuli, ea, quae in fine victoriarum gymnicarum indicis in tit. VI. leguntur, vv. 68. 69: εὐαγγέλια τῆς Ῥω[μαίων νίκης] Εὐφάνης Ζωΐλου Ὠρώπιος ad primos, qui post victoriam reportatam celebrati sunt, ludos referenda esse videntur. denique vv. 66 sq. Euphanes ille τὴν ἀπόβασιν vicisse dicitur, cum in tit. VIII. agonotheta nominetur. unde conici potest eum tit. VI. aetate iuvenem, tit. VIII. temporibus virum aetate provectiorem fuisse. 1) Supplevit Kumanudis coll. VII 32 sq.; cf. IIII 30.

ὑποκριτὴς
Εὔαρχος Ἡροδότου Κορων[εύς] [2]).

sequitur index gymnicorum curuliumque victorum, quem praetermitto.

VII. ed. Steph. Kumanudis Eph. arch. ser. III. 1884. p. 124 n. 2:

Ἄρχοντος Φιλιστίδου, ἱερέως δὲ τοῦ Ἀμφια-
ράου Ἑρμαιώνδου, ἀγωνοθετοῦντος τὰ Ἀμφι[ά-
ραα καὶ Ῥωμαῖα Εὐβιότου τοῦ Δημογέν[ου,
οἵδε ἐνίκων·
σαλπικτὴς
Νικάνωρ Διονυσίου Ταρσεύς·
κῆρυξ
Ὧρος Ὥρου Χαλκιδεύς·
ἐγκώμιον καταλογάδην
Δημογένης Εὐβιότου Ὠρώπιος [1])·
ἐγκώμιον ἐπικὸν
Κράτερος Ἀντιπάτρου Ἀμφιπολίτης·
ῥαψωδὸς
Θεοφάνης Σωκράτου Θηβαῖος·
ποιητὴς ἐπῶν
Ἀπολλώνιος Ἀγυάρχου τοῦ Βοιήθου Μαλλώτης·
αὐλητὴς
Διονύσιχος Ἐπικλέους Θηβαῖος [2])·
κιθαριστὴς
Ζεῦξις Δημητρίου Τραλλιανός·
κιθαρωιδὸς
Ἡρακλείδης Ἀντιπάτρου Ταρ[σ]εύς·
ποιητὴς σατύρων
Φιλοξενίδης Φιλίππου Ὠρώπιος·
τραγωιδίας παλαιᾶς ὑποκριτὴς
Φιλοκράτης Θεοφάντου Θηβαῖος [3])·
κωμωιδίας παλαιᾶς ὑποκριτὴς
Ζωΐλος Ζωΐλου Συρακόσιος·
τραγωιδίας καινῆς ποιητὴς
Πρώταρχος Ἀντιμένους Θηβαῖος·

---

[2]) cf. I 26, IIII 32.

VII. [1]) Agonothetae filius, ut videtur. [2]) cf. V 12, X 9. [3]) cf. IIII 30, VI 1.

ὑποκριτὴς
Φιλοκράτης Θεοφάντου Θηβαῖος[4]·
κωμωιδίας καινῆς ποιητὴς
Χιόννης Διογειτώνδου Θηβαῖος·
ὑποκριτὴς
Πολύξενος Ἀνδρύτα Ὀπούντιος.

VIII. ed. St. Kumanudis Eph. arch. ser. III. 1884. p. 126 n. 3:

Ἄρχοντος ἐν Ὠρωπῶ Λυσιμένου
τοῦ Φιλίππου, ἱερέως δὲ τοῦ
Ἀμφιαράου Εὐκράτου τοῦ
Φίλωνος, ἀγωνοθετοῦντος
τῶν Ἀμφιαράων καὶ Ῥωμαίων
Εὐφάνου τοῦ Ζωΐλου οἵδε ἐνίκων·
σαλπιστὴς
Θεόφραστος Ἀσκληπιάδου Αἰγινήτης[2])·
κῆρυξ
Γλαυκίας Σωσάνδρου Θηβαῖος[3])·
ἐνκωμίω λογικῶ
Μόσχος Ἀναξίππου Προυσιεύς·
ἐνκωμίω ἐπικῶ
Ἀμινίας Δημοκλέους Θηβαῖος[4])·
ἐπῶν ποιητὰς
Ἀμινίας Δημοκλέους Θηβαῖος·
ῥαψωδὸς[5])
Εἱέρων Ἀριστοβούλου Θηβαῖος·
αὐλητὰς
Νίκων Εὐωνυμοδώρου Θηβαῖος·
κιθαριστὴς

[4]) Eodem igitur modo, quo in didascaliis Atticis posterioris aetatis saepe idem histrio, qui in novis fabulis partes agebat, veterem tragoediam in scaenam produxisse dicitur, hic quoque idem homo tamquam histrio et τραγῳδίας παλαιᾶς et τραγῳδίας καινῆς praedicatur.

VIII. In hoc titulo cum coniuncta extent nomina, quae in II. III. V. commemorantur, omnes hos titulos paucorum tantum annorum intervallo scriptos esse novo argumento confirmatur; Euphanis autem, Zoili filii, nomine etiam tit. VI. VIII. VIIII. quasi communi vinculo coniunguntur. [2]) cf. II 3; adde XI 2. [3]) cf. V 2; idem v. 30 histriones tragicos vicisse dicitur, cf. II 5 et CIA III 120: Τ. Αἰλ. Αὐρήλ. Ἀπολλώνιος, κωμῳδὸς καὶ κῆρυξ. [4]) cf. III 10, 25. [5]) Iota in hoc titulo nusquam adscriptum invenitur: contra in VII. saepe, in IIII. semper additum est.

Μητρόδωρος Διονυσίου Νικομηδεύς ·
κιθαρῳδὸς
Δημήτριος Δημητρίου Καλχηδόνιος[6]) ·
σατύρων ποιητὴς
Κάλλιππος Κάλλωνος Θηβαῖος ·
ποιη⟨τη⟩τὴς τραγῳδιῶν
Λυσίστρατος Μνασέου Χαλκιδεύς ·
ὑποκριτὴς
Γλαυκίας Σωσάνδρου Θηβαῖος ·
ποιητὴς κωμῳδιῶν
Ἀρίστων Χιόνου Θηβαῖος [7]) ·
ὑποκριτὴς
[Κα]λλίστρατος Ἐξακέστου Θηβαῖος [8]) ·
. . . . κ . ν παλαιὰν
. . . . ος.

VIIII. ed. Preller Ber. d. k. sächs. Gesellschaft d. Wiss. philos.-hist. Cl. IIII 150 sq.; Pittakis Eph. arch. fasc. 33 (1853). n. 1377, Rangabé Ant. hell. 965; cf. Latichew Bull. de corr. hell. V 260.

ἐνκωμίωι ἐπικῶι
Δ]ημοκλῆς Ἀμινίου Θηβαῖος [1])·

---

[6]) In tit. III. v. 18 citharoedus commemoratur Δημήτριος Παρμενίσκου Καλχηδόνιος. [7]) cf. VII 34: Χιόννης Διογειτώνδου Θηβαῖος. [8]) cf. III 23, 49.

VIIII. Victores musicos excipiunt gymnici, qui in fine huius columnae et in altera columna scripti sunt. fragmento cuidam Ephem. arch. fasc. 33, n. 1319 (Rangabé l. c. 965), quod cum victores illos gymnicos exhibeat, qui in huius tituli columna altera desunt, a Pittaki et Rangabeo cum titulo VIIII. coniunctum est, praescripta sunt haec:

[ἄρχοντος τοῦ δεῖνος ἱερέως δὲ] τοῦ Ἀμφιαράου Ἀλεξιδήμου τ[οῦ]
[Δημοφῶντος?, ἀγωνοθετοῦντος τὰ Ἀμφιάραα Ἀλ]εξιδήμου τοῦ Δημοφῶντος
[οἵδε ἐνίκων] ἄνδρας σ[τάδιον].

num in linea altera τὰ Ἀμφιάραα an τὰ Ἀμφιάραα καὶ Ῥωμαῖα scripta fuerint, iam definiri nequit. monendum autem est inter gymnicos victores duos homines Romanos nominari, cum in ceteris catalogis Oropiis homo Romanus non inveniatur. de tituli aetate antea dixi. restat, ut pauca de ratione, quae inter tit. VIIII. XII. XIII. intercedit, addam. patet enim tit. XIII. eiusdem aetatis esse ac VIIII. iam cum tit. XIII. propter litterarum formas recentior sit titulo XII., hic autem intra annos 100 et 70 scriptus sit (cf. infra), hoc quoque argumento tit. VIIII. intra annos 90 et 50 demum scriptum esse demonstratur

[1]) cf. XI 8; adde III 10, VIII 14: Ἀμινίας Δημοκλέους Θηβαῖος.

ῥαψωδὸς
Ἀρτέμων Ἰσιδότου Ἀθηναῖος·
ἐπῶν ποιητὴς
Ἀγαθοκλῆς Θεοδοσίου Νεαπολίτης·
αὐλητὴς
Ἀμινίας Χαιρήμονος Ἐχιναῖος [2])·
κιθαριστὴς
Σωσιμένης Ἡγεσιμάχου Σκαρφεύς·
κιθαρωιδὸς
Εὔβιος Εὐβίου Ἀθηναῖος·
ποιητὴς σατύρων
Ἡρακλίδης Ἡρακλίδου Ἀθηναῖος·
τραγωδὸς
Ἐπίνικος Ἀλεξάνδρου Ἀθηναῖος·
κωμωδὸς
Ἴρανος Φρυνίδου Ταναγραῖος [3])·
ποιητὴς τραγωδίας
Ἑρμοκράτης Ἀλεξάνδρου Μιλήσιος·
ποιητὴς κωμωδίας
Ἀρίστων Ποσέους Ἀθηναῖος [4])·
ἐπινίκιον
Ἐπίνικος Ἀλεξάνδρου Ἀθηναῖος.

ὑποκριτὴς
Χαρίας Χαρί-
ου Ἀθηναῖος·
ὑποκριτὴς
Στράτων Ἰσι-
δότου Ἀθηναῖος [5])

X. Titulum Tamynis in urbe Euboeica repertum ed. Eustratiades Ephem. arch. ser. II. fasc. 13. (1869) p. 347 n. 412:

Πολ]εμάρχου Εὐθυππίδου, ἀγωνοθέτο[υ
τῶν] Ταμυνείων Βουλάρχου τοῦ Χαρίδα,
οἵδ]ε ἐνίκων· ἐγκώμιον εἰς τὸν Ἀπόλλ[ω- [1])
να...]ημος Κραταιμένου Ἐρετριεύς·
σαλπιστὰς

---

[2]) cf. XIII 5. [3]) cf. XIII 1. [4]) Filius sine dubio Posis Atheniensis poetae XII 14; cf. p. 113. [5]) Frater fuisse videtur Artemonis Isidoti filii, v. 4; cf. etiam Rangabé l. c. p. 695.

X. Hunc titulum propter artissimam necessitudinem, qua cum ceteris coniunctus est, Boeoticis inserui. hic quoque titt. Orchomenios et Oropios eiusdem aetatis esse luculenter demonstrat; cf. vv. 6, 9. litteras apicibus ornatas esse testatur Eustratiades; ΑΣΕΩ. [1]) Sollemnia Tamynia igitur in Apollinis honorem celebrabantur.

'Αριστῶν?]αξ 'Αριστώνακ[τ]ος Πάφιος ἀπὸ Κύπρο[υ·
κήρυκας
...ειτωρ Φιλο[ξ]ένου 'Ερετριεύς· αὐλητὰς
Διονύ]σιχος[2]) 'Επικλέους Θηβαῖος· κιθαριστὰς
Ἡγέλοχ]ος 'Ασκληπιογένου Αἰολεὺς ἀπὸ Μυρίν[ης[3])·
....ν κοινὴν[4])· Ἡγέλοχος 'Ασκληπιογέ-
νου Α]ἰολεὺς ἀπὸ Μυρίνης· παῖδας
δόλι]χον.....

XI. Titulum, qui nunc Thebis in museo adservatur, publici iuris fecit Lolling Mitth. d. d.arch. Inst. III 142 (cf. Roehl in Bursiani Ann. XXXII 101):

σαλπικτὴς
'Ασκληπιάδης Θεοφράστου Αἰγινήτης[1])·
κῆρυξ
'Αείμναστος Ε[ὐφ]ραίου Θηβαῖος·
ῥαψ[ῳδ]ὸς
'Αείμναστος Εὐφραίου Θηβαῖος·
ἐπῶ[ν ποιητ]ὴς
Δημοκλῆς ['Αμινίου] Θηβαῖος[2])·
α[ὐλητὴς]
Τιμοκράτ[ης....]νος Θηβαῖος·
[αὐλῳδὸς?][3])
Φ]ίλιπ[πος.....   ...

---

[2]) Supplevi coll. V 12, VII 18. [3]) cf. I 18, V 14. [4]) Haec quo modo explicanda sint, dubium videtur; certe idem valere videntur atque ἐπινίκιον, ἐπινίκια I 25; II 37; III 50; VIIII 23.

XI. Cum ignoretur, quo loco lapis repertus sit, ad Tanagraeos aut Orchomenios ludos eum referri posse suspicatur Roehl l. c.; verum ad Agrionia quoque vel alia certamina Thebana pertinere potest. eiusdem aetatis est ac tit. VIIII.; si Democles, qui hic et in tit. VIIII. nominatur, filius est Aminiae, qui III 10, VIII 14 invenitur, Asclepiades quoque tubicen Theophrasti illius, qui II 3, VIII 8 tubicines vicisse dicitur, filius esse debet; si autem tit. VIIII. antiquior est quam tit. VIII. et Democles pater, non filius Aminiae illius, Asclepiades quoque tituli XI. pater esse debet Theophrasti tubicinis II 3, VIII 8. litterarum formae in apographo Lollingiano fluctuant: Α et Α, Π et Π.
[1]) cf. II 2 sq., VIII 8 sq.: σαλπιστὴς Θεόφραστος 'Ασκληπιάδου Αἰγινήτης
[2]) Supplevi. ΔΗΜΟΚΛΗΣΟ... Lolling; cf. VIIII 1 sq.: ἐνκωμίῳ ἐπικῷ Δημοκλῆς 'Αμινίου Θηβαῖος (adde III 10: ποιητὴς ἐπῶν 'Αμινίας Δημοκλέους Θηβαῖος, v. VIII 14). [3]) Lolling haec exhibet: ΤΙΜΟΚΡΑΤ .... ΝΟΣ ΘΗΒ
///ΙΛΙΠ...

XII. Titulum, qui nunc Tanagrae in museo adservatur, ed. Haussoullier Bull. de corr. hell. II 590 n. 22 (cf. Latichew Bull. de corr. hell. V 261):

Γλ]αύκου τοῦ Βουκάττου οἵδε ἐνίκων τὸν ἀγῶνα τ[ῶν
Σαραπιείων·
σαλπικτὴς Ἄντανδρος Ἐρεδάμου Αἰγιράτη[ς·
κ]ῆρυξ Πραξιτέλης Θεογένου Ἀθηναῖος·
ῥαψωδὸς Βουκάττης Γλαύκου Ταναγραῖος [1])·
ποιητὴς Ἀθανίας Φρύνωνος Ταναγραῖος [2])·
αὐλητὴς Ἀρτέμων Μύρτονος Θηβαῖος·
αὐλωδὸς Παρμενίων Παρμενίωνος Ἀθηναῖος·
κιθαριστὴς Φίλων Φίλωνος Ταραντῖνος·
κ]ιθαρωδὸς Τιμοκλῆς Ἡροδότου Αἰολεὺς ἀπὸ Κύμης·
σ]ατύρων ποιητὴς Ἀλέξανδρος Γλαύκου Ταναγραῖος·
τραγωδιῶν ποιητὴς Ἀσκληπιάδης Ἱκεσίου Θηβαῖος·
[ὑποκριτὴς] [3]) Διογένης Ἀντίγωνος Θηβαῖος·
[κωμωδιῶν ποιητὴς] Ποσῆς Ἀρίστωνος Ἀθηναῖος·
[ὑποκριτὴς] ος Δημητρίου Ἀθηναῖος·
ος Δη[μη]τρίου Θηβαῖο[ς·
ου Θηβαῖ[ος·
ου Ἀθην[αῖος].

---

quae litteris minusculis ita transcribit:

Τιμοκράτ(ης... ...)νος Θηβαῖος· | αὐλῳδὸς | (Φ)ίλιπ(πος....)

dubitare igitur debes, num vocis αὐλῳδὸς vestigium in lapide extet: neque enim in omnibus agonibus Boeotiis auloedis locus erat: veluti in ludis huius aetatis Oropiis numquam commemorantur auloedi.

XII. Tituli aetatem acute definivit Latichew, cum Posen Aristonis f. Atheniensem (v. 14) non diversum esse dixit ab homine eiusdem nominis, qui in archontum Atticorum indice CIG 180 (CIA II 863) inter thesmothetas enumeratur. quam coniecturam eo firmavit, quod praeco quoque v. 4 Πραξιτέλης Θεογένου Ἀθηναῖος inter ephebos Atticos eius anni, quo Menoetes archon magistratum gessit (ante 101 a. Chr.), invenitur CIA II 465 (Πραξιτέλης Θεογένου Φλυεύς). iam cum archontum illum indicem Latichew et Koehler ad partem saeculi I. a. Chr. priorem referendum esse iudicaverint, Tanagraeum quoque tit. intra annos 100 et 70 scriptum esse statuamus licet. iota adscriptum quod dicitur in lapide semper omissum est. [1]) Filius sine dubio agonothetae. [2]) cf. titulum Tanagraeum Bull. de corr. hell. II 591 n. 23: γουμνασιαρχιόντων .... Ἀθανίαο Φρούνωνος. [3]) Vv. 13—15 ita supplendos esse vidit Latichew l. c. [4]) Poses pater est Aristonis illius, Posae filii, qui ποιητὴς κωμῳδίας dicitur VIIII 22.

XIII. Titulum, qui nunc Tanagrae in museo adservatur, ed. Haussoullier Bull. de corr. hell. II 591 n. 24:

Εἴρανος Φρυνίδου Ταναγραῖος [1]·
ποιητὰς
Σ?]θηνάδης Νικομάχου Θηβαῖος·
αὐλητὰς
Ἀ]μινίας Χαιρήμονος Ἐχιναῖ[ο]ς [2]·
κιθαριστὰς
Μνασίλαος Σωσάνδρου Μεγαρε[ύς·
τραγωδοὺς
.....ος Ἀριστ.... Υ....(?)
τὸν ἐπινίκιον
Μ]νασί[λαο]ς Σωσάνδρο[υ Μεγαρεύς]·

Εἴρανος Φρυνίδου
Ταναγραῖος·[τρ]αγωδοὺς
Εἴρανος Φρυ[νί]δου
Ταναγραῖος· ποιητὰ[ς
Δωρόθεος ////ππου
Χαλκιδ[εὺ.]... νκιο (?) [3])

in lapidis parte sinistra haec leguntur:

....ος Ταρσεύς
....ου Θηβαῖος
.....[Ταναγ]ραῖος.

XIIII. Titulum, qui Acraëphiae repertus est, edd. Boeckh CIG 1587, Leake Travels in northern Greece II, tab. XI, n. 50. (Le Bas Voy. arch. II 585 a, Keil Syll. inscr. Boeot. p. 60 n. VIII), omnium denique accuratissime Pittakis Ephem. arch. (1859) n. 3707:

Ἐπ]ὶ Ἀντίου ἄρχοντος ἀγωνοθετοῦν[τος
Ποπλίου Κορνηλίου τοῦ Ποπλίου υἱοῦ Ρ[ω-
μαίου τῶν τριετήρων Σωτηρίων πρῶτο[ν
ἀπὸ τοῦ πολέμου, ἱερατεύοντος δὲ τοῦ [Δι-
ὸς τοῦ Σωτῆρος Θεομνήστου τοῦ Παρα-

XIII. Titulus, quem recentiorem esse tit. XII. litterarum formae ΑΘοΠΤΣ demonstrant (quae in tit. XII. scribuntur ΑΘοΠΤΣ), eiusdem aetatis est ac tit. VIIII.; cf. adn. 1 et 2. [1]) cf. VIIII 18, ubi comoedus dicitur. eundem etiam tragoedum fuisse demonstrat columna dextra. iam enim non valent illa aetate Platonis verba (De re publ. III 395 A): οὐδέ τοι ὑποκριταὶ κωμῳδοῖς τε καὶ τραγῳδοῖς οἱ αὐτοί; cf. Lüders l. c. p. 141 sq.; ante v. 1. ῥαψῳδὸς supplendum est (aut κῆρυξ?). [2]) cf. VIIII 8. [3]) ΧΑΛΚΙΔΓ////ΝΚΙΟ; cf. XV 7: Γόργιππος Πυ(θίππ)ου Χαλκιδεύς.

XIIII. Cum v. 4. bellum quoddam commemoretur, agonothetae autem nomen Publius Cornelius sit, post bellum Mithridaticum titulum scriptum esse recte adfirmavit Boeckh. concedendum tamen etiam recentius quoddam bellum intellegi posse, ita ut titulus inter annos 86 et 50 ponendus sit.

μόνου οἵδε ἐνίκων·
σαλπιστὴς
Ὀνήσιμος Δέξωνος Κορωνεύς·
κῆρυξ
Φιλοκλῆς Νικοκλέους Θηβαῖος·
ἐνκωμίωι λογικῶι
Πολύξενος Καφισοτίμου Ἀκραιφιεύς·
ἐπῶν ποιητὴς
Πρωτογένης Πρωτάρχου Θεσπιεύς·
ῥαψωιδός
. . . . . .

XV. Titulum, qui eodem loco, quo tit. XIIII. repertus est, ed. Leake Travels in north. Gr. l. c. (Le Bas 585 b, Keil Syll. VIII):

Σ]ωσιμένης Σωσικ[λέους? [1])....
κιθαριστὴς
Ἱ]εροκλῆς Σωκλέους Ὀπούν[τιος·
κιθαρω[ιδὸς ἱ]ερὸς·
π[οιη]τὴ[ς σατύ]ρων
Γόργιππος Πυ[θίππ]ου Χαλκιδεύς·
τραγωιδὸς
Κλέων Κράτωνος Θηβαῖος [2])·
κωμωδῶν ἱερός·
ποιητὴς τραγωδιῶν
Διογένης Θεοδότου Θηβαῖος·
ποιητὴς κωμωδιῶν
Πρώταρχος Πρωτογένους Θεσπιεύς [3])·
τὸν ἐπινίκιον
Πρώταρχος Πρωτογένους Θεσπιεύς

XV. Tit. XIIII. et XV. ut eiusdem indicis fragmenta, coniungendos esse probabiliter coniecerunt Leake et Keil. neque enim in eo offendendum esse videtur, quod et pater et filius (XIIII 14, XV 13) isdem in ludis praemia reportaverunt. singula linearum supplementa Keilio debentur, quem conferas. [1]) Sosimenes utrum tibicen an auloedus fuerit, diiudicari nequit. [2]) Cleo filius videtur Cratonis rhapsodi Thebani, qui Charitesiis (I 12) et Amphiaraeis (V 8) interfuit. [3]) cf. XIIII 14.

Index rerum,

quae hoc libello tractantur.

Index titulorum,

qui in hoc opusculo tractantur.

VITA.

Aemilius Reisch natus sum Vindobonae a. d. IIII. Kal. Octobr. anni huius saeculi LXIII patre Colomano, qui ante hos septem annos cum summo meo dolore de vita decessit, matre Emma e gente de Scari, quam adhuc vivere quam maxime gaudeo. fidei addictus sum evangelicae. primis litterarum elementis domi imbutus inde ab anno 1873 usque ad a. 1878 Vindobonae gymnasium, quod ven. patres Scoti regunt, frequentavi; quo anno postquam pater quam maxime dilectus acerbissima morte mihi ereptus est, cum matre carissima Semproniam me contuli et in gymnasio huius urbis evangelico sextae classis litteris ediscendis operam navavi. anno post Oenipontem migravi, ubi per duos annos insequentes gymnasii studia absolvi. aestate a. 1881 maturitatis testimonium adeptus Vindobonam redii atque inter huius almae academiae cives receptus per septem semenstria spatia scholis interfui, quas habuerunt viri docti praeclarissimi O. Benndorf, G. Bühler, Th. Gomperz, G. ab Hartel, R. Heinzel, O. Hirschfeld, E. Hoffmann, C. Schenkl, E. Schmidt, Th. Vogt, R. Zimmermann. eximia Hartelii Hoffmanni Schenkelii benevolentia mihi contigit, ut iam primo semenstri spatio in seminarium philologum reciperer, cuius sodalis ordinarius fui per tres annos. etiam O. Benndorf et O. Hirschfeld, qua semper erga me fuerunt comitate, mihi benigne concesserunt, ut exercitationibus seminarii archaeologici et epigraphici interessem. cum vero hi viri omnes in me summa contulerunt beneficia, tum optimis suis consiliis et ceteris in rebus omnibus et in hoc opusculo conscribendo G. ab Hartel et C. Schenkl me semper adiuverunt. quibus viris quam maxime colendis quantum debeam gratiae, non est huius loci pluribus persequi.